#4607/P

53050.


2

POESEOS MEDII ÆVI MEDICÆ SPECIMINA NONNULLA MINUS COGNITA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM
UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XIV. M. OCTOBRIS MDCCCXLII.
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
PHILIPPUS ROSENTHAL
LIGNICENSIS.

OPPONENTIBUS:
ROBERTO LANGER, MED. DD.
THEOPHILO SCHOLZ, MED. DD.



VRATISLAVIÆ,
TYPIS LEOPOLDI FREUND.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO

A. G. E. T. HENSCHEL

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ DOCTORI, MEDICO APUD VRATISLAVIENSES PRACTICO, UNIVERSITATIS VRATISLAVIENSIS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, COLLEGIO SUMMO MEDICIS ET PHARMACEUTICIS EXAMINANDIS DELEGATO ADSCRIPTO, SOCIETATIS REGIÆ BOTANICÆ RATISBONENSIS, PHYSICO-MEDICÆ ERLANGENSIS, HISTORICO-NATURALIS MARBURGENSIS ET WETTERAVIENSIS, MEDICÆ LIPSIENSIS, SILESIACÆ PATRIÆ CULTR. SODALI, BEROLINENSIS TOPIARIÆ ATQUE GORLICENSIS PHYSICÆ SODALI HONORARIO

PRÆCEPTORI ÆSTUMATISSIMO, FAUTORI AD CINERES
USQUE COLENDO

NEC NON

Avunculo Dilectissimo

G. MENDEL

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMAE PIETATIS SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

CAPUT I.

MEDICINA ÆVI MEDII.

Græcia et Italia, per longum temporis spatium litterarum artiumque sede, jam dudum Musis relicta, ceteris populis Europæis litteras partim nondum amplexis, partim etiam ob res publicas prohibitis, quominus in tractandis promovendisque litteris otium collocarent, cujus rei maxima culpa ad infestam civitatum conditionem, qua ultro citroque agitabantur, referenda est — tunc demum gens effloruit, quam, quæ ipsi vis atque facultas insit, eo usque latuerat, et quæ communis, quo natura in se ipsa juncta erat, vinculi, sibi nondum conscia facta erat. Hanc sibi gentem Musæ delegerunt, qua in media nova templa sibi exstruerent, ubi divino quodam mentis instinctu inflatuque exceptæ ingenium humanum ad ipsarum culturam paratum denuo promptumque invenerunt, undeque iterum lucem vitamque Occidenti offuderunt. Arabes dico, gentem Beduinam, qui ante Mohammedem ab omni eruditione priorum sæculorum remotissimi, per hunc suum prophetam non solum ex arto gravique somno, quo eorum animi capti erant, excitabantur et communi vinculo religioso inter se conjungebantur, sed etiam a ceteris partibus ad id potentiæ fastigium efferebantur, ut primum sibi locum inter populos illius temporis vindicare possent. Non quidem Mohammedes ipse tanta animi eruditione insignis fuit, qua sola tam ingentem vim in Arabes excercere posset, neque obscuritas hujus populi subitam rerum mutationem admisit, verumtamen potentia, a Mohammede constituta, fundamentum erat faustæ felicisque conditionis, qua Arabes in posterum gaudebant, et qua litteræ, si colendæ sunt, carere nequeunt. Hac de causa etiam insignibus litterarum studiis sub Khalifatu Abassidarum demum occurrimus, præcipue vero post conditum Bagdad (anno 1762 p. Chr. n.) et quamquam in Hispania duo, quæ illud sequuntur, secula propter bellum, quod Arabes in hanc terram transferebant, sine magno litterarum successu præterlapsa sunt, tamen eo majori studio sub auspiciis Ommajadarum, præcipue vero condita illustrissima schola Cordoviensi (anno 980) colebantur, ita ut eruditionem universæ Occidentis illo tempore maximam partem ab Arabibus profectam esse, tuo jure contendere possis.

Inter litteras vero, de quarum cultura hic sermo est, ante omnia physica et præcipue ars medica, a physicis non separanda, designari debent, quam ut promoverent non solum scholæ Arabicæ ad hunc finem conditæ omni contentione nitebantur, sed cui ut

incumberent, medici Arabici vivendi etiam luxurie magis magisque accrescente cogebantur. Arabes hanc ipsorum artem medicam partim ex propria, partim ex aliena imprimis classica materie constituebant, quam præcipue a capitibus medicorum Græcorum sibi sumebant, quos tamen nonnisi conversionibus, magna nimirum ex parte sensum depravantibus, cognoverant. Itaque medicina Arabica intertextis elementis, ex medicina Indica, Persica, antiqua Arabica, in universum antiqua Orientali depromtis et superstructa fundamentis medicinæ Hippocraticæ, propriam quandam indolem ac naturam nacta est, quare peculiaris ei locus in historia medicinæ jure meritoque concedi debet.

Qua ratione quum medicina Arabica tantam apud omnes auctoritatem sibi vindicasset, ut, qui in arte medica studia collocare voluerit, is dummodo fieri posset, in scholis Arabicis, ubi tam tradebatur, quam excercebatur, ei incumbere deberet, fieri non potuit, quin ultra patriam divulgata, reliquarum etiam terrarum eruditarum doctrinæ fons evaderet. Quo accedit, quod Arabes etiam commercio, quod iis cum Occidente erat, summa ejus necessitudine utebantur, ita ut etiam hac ratione non exiguam vim in culturam harum terrarum exercere deberent. Cujus commercii sequelæ et ad res externas et ad animorum societatem spectantes, primum in Europa meridionali sub initium sæculi XI in conspectum venerunt. Interea vero ars medica etiam in Occidente non penitus neglecta erat. Jam enim prioribus temporibus monachi ægrotis auxiliari religionis esse putaverunt, quem ad finem etsi interdum ratione ea usi sunt, quæ ab auxilio vere medico quam remotissima erat, quippe sæpissime eorum scientiis atque experientia non sufficientibus, ad auxilia religiosa, ad pias ceremonias, preces obsecrationesque confugerent, hoc tamen extra omnem dubitationem positum est, monasteria potissimum medicinæ omni studio incubuisse eamque sedulo exercuisse. Jam enim Carolus Magnus in Capitulo, quod Theodorisvillae erat, jusserat medicinam in scholis monasterialibus doceri, ubi sub nomine Physicæ in numerum reliquarum, quæ ibi tradebantur, disciplinarum recepta enixe colebatur. Ab hoc tempore monasteria magis magisque propriæ sedes artis medicæ ejusque studii factæ sunt, in qua re vel tunc etiam perstare non desierunt, quum ecclesia monachorum studia ad medicinam pertinentia improbare cœpisset. Quantumvis enim monachi jam in concilio Remensi anno 1139 artem medicam exercere, quin etiam in concilio ecclesiastico Montempessulano anno 1162 eandem docere vetiti essent, quippe qui hac re a munere ipsis a Deo assignato arcerentur atque ab officiis ecclesiasticis nimis removerentur, illud interdictum tamen ordines quosdam atque singulos monachos vel ad seculum XV usque non prohibere potuit, quominus usque quoque medicinam tractarent.

In Occidente medicina imprimis ab ordine St. Benedicti culta erat, potissimum vero a Benedictinis Neapolitanis, qui duas illustres scholas medicas in monte Casinensi atque Salerni condiderant.

Quamquam enim St. Benedictus, auctor hujus ordinis, monachos rogavit, ut ægrotis nonnisi precibus atque obsecrationibus mederi studerent, hi tamen decreto non religiose stabant, artem potius ad eum gradum exercentes, quem ejus conditio tunc temporis admittebat. Cujus rei testimonium exhibent duo libri, teste Leone Ostiensi [1]) a Berthario, abbate hujus monasterii, sub finem sæculi IX scripti, qui tamen, proh dolor, non notuere. Quamquam autem scholæ modo dictæ jam a primis initiis hominum oculos in se converterunt atque frequentia monachorum discendi cupidorum, undique eo concurrentium excelluere, tamen auctoritate scholarum Arabicarum prævalente, haud prius sibi perpetuam atque omnibus probatam auctoritatem vindicare potuerunt, quam illarum doctrinam edoctæ eamque sequentes, tam ætatis desiderio quam conditioni litterarum medicarum, qualis tunc temporis erat, satisfacere potuerint. Inter viros autem, in quibus facultas inerat scholam Salernitanam ad hunc gloriæ atque decoris gradum evehendi, præ omnibus Constantinus Africanus nominandus est, qui non solum propter vim, quam in scholam Salernitanam exercuit, sed magis etiam quia doctrinam medicam Arabum ad Occidentem transtulit, in historia medicinæ monumentum sibi ære perennius exegit. Postquam enim discendi cupiditate motus magnam partem Africæ et Asiæ perlustravit, ubi per longum temporis spatium scholis mathematicis et physicis virorum doctorum Orientalium interfuit, post XXXIX annos, in itinere transactos, Carthaginem patriam rediit, unde tamen ob insidias, quæ ibi vitæ ipsius struebantur, Salernum se contulit, initio ibi vitam obscuram degens, dein Roberti Guiscard, celebris Normannorum principis ab epistolis, donec denique sub Desiderio abbate in montem Casinum se contulerit, ubi præceptoris munere functus atque magna copia operum ex scriptoribus Arabicis et Judaico-Arabicis haustorum confecta, in monachorum numerum adscitus anno 1087 vita decessit [2]). Ceterum etsi Constantinus litteras medicas non proprio Marte auxit, hoc tamen ejus beneficio etiam atque etiam celebrando habeatur oportet, quod monasteriis Italiæ inferioris medicam doctrinam Arabicam tradidit, cujus illa inde ab inito sæculi XII pedetentim multum sibi vindicaverunt sicuti eum paulo post ad divulgandum Arabismum medicum ultra totam Europam primum impulisse constat. Qui tamen omnia, quæ tam Constantino Africano quam toti scholæ Salernitanæ illius temporis cognita fuerint, in solo Arabismo posita

---

[1]) Cf. Leo Ostiensis Chronica Casinensis in Muratorii Scriptor. Italicor. Tom IV pag. 309.

[2]) Omnia, quæ scriptores posteriores de Constantino Africano tradiderunt, hausta sunt ex duabus enarrationibus, quæ partim in continuatione libri Leonis Mariscani, episcopi Ostiensis „Chronica monasterii Casinensis“ lib. III. cap. 35. ed. Muratorii in scriptor. rer. Italicar. tom. IV. pag. 455, partim in opere Petri Diaconi de viris illustribus Casinensibus (Grævii et Burmanni thesaur. antiquitat. et historiar. Ital tom IX. P. 1. p. 368 cum annotationibus J. Bapt. Mari.) exstant.

fuisse credere velit, cum illustrissimus Henschel, auctor in rebus medicis gravissimus atque præceptor mihi dilectissimus, in magno errore versari probavit[1]). Constantino nec non Garioponto et Cophoni, ejus æqualibus, antiquos medicos, Galenum potissimum et a Galeno Hippocratem vel sine Arabicis traditionibus bene notos atque in usum vocatos fuisse, certum est. Schola Salernitana autem et ante et post Constantinum medicinam Græcorum tanti habuit, ut se civitatem Hippocraticam appellaret et usque ad tempora Aegidii Corboliensis præter nonnulla, quæ Arabum erant, potissimum in verba integri Galeno-Hippocratismi juraret.

CAPUT II.

REGIMEN SCHOLÆ SALERNITANÆ.

Præponderantis illius medicinam secundum Græcorum exempla colendi rationis schola Salernitana illius temporis nobis monumentum reliquit, quod omnium, quæ simul erant, scholarum medicarum non solum admiratione sed etiam æmulandi studio excitato, ad nostra usque tempora, per omnium populorum ora et sermones traductum non tam rudioribus hominibus certa fidaque dat consilia de servanda bona valetudine, quam ipsis litteris eximium thesaurum simplicium et ex parte penitus comprobatorum experimentorum atque præceptorum exhibet, sicuti conditionem doctrinæ medicæ illius temporis vere denotat, itaque inter fontes historiæ medicinæ medii ævi non infimum locum tenet. Constat vero illud monumentum ex præceptis maxima ex parte diæteticis, sermone poëtico compositis, quæ quidem proxime tantum in usum Roberti, filii Guilelmi expugnatoris, Normannorum principis, contra vulnus venenatum Salerni auxilium quærentis, conscripta esse videntur, quæ tamen ob dignitatem atque utilitatem universalem mox ita pervulgata sunt, ut omnium virorum doctorum fierent atque gloriam scholæ Salernitanæ longe supra fines patriæ diffunderent, qua gloria ac splendore ne enixissima quidem reliquarum scholarum medicarum æmulatione, nominatim Montempessulanæ atque Parisiensis, destitui potuit[2]). Obiter jam memoratum est, illud opus, notum sub nomine Regiminis scholæ Salernitanæ vel Regiminis sanitatis Salerni, Roberto, Normannorum principi, dedicatum ferri, id quod tamen adhuc omnino non certo comprobatum est. Redundant ista dubia statim ex initio carminis[3]) in quo id opus

---

[1]) Zur Geschichte der Medizin in Schlesien, 1. Heft 1837. p. 100—110.
[2]) J. C. G. Ackermann regimen Sanitat. Salerni Stendal 1790 p. 95.
[3]) Anglorum regi scribit tota schola Salerni.

Anglorum regi deditum esse legitur. Ille Robertus autem neque eo tempore, quo Salerni versabatur, neque postea umquam rex factus est, quantumvis Guilelmo II, fratre suo, mortuo regnum suo jure appetere potuisset, quin etiam ad hunc finem circiter idem tempus, quo carmen nostrum innotuit, Angliam se contulerit. Sin vero respicis, inter principes, quibus carmen consecratum fuisse accipere possis, Robertum unicum fuisse, qui Salerni versatus sit, eumque tunc satis certo sperare potuisse, fore ut fratrem regno excipiat, minus forsan temere accipias carmen illi Roberto dedicatum fuisse. Huc accedit, quod verbum „rex" non solum regnanti principi denominando inserviebat, sed quod etiam principes, qui in nulla terrarum possessione erant, hoc nomine insigniebantur [1]).

Neque etiam de ipso carminis autore certius quid proferri potest. Tametsi enim nonnulli ejusdem editores id a Johanne Mediolano compositum esse affirmant, argumenta tamen, quæ afferunt, non satis firma sunt, quoniam posteriores demum codices manuscripti ad sæculum XV pertinentes Johannem Mediolanum tamquam carminis autorem designant, qui, si idem forte est, quem Petrus Diaconus memorat [2]), sub finem sæculi XI et initium XII vixit et discipulus Constantini Africani fuit [3]). Maxime vero contra sententiam, illum Johannem Mediolanum regiminis auctorem esse, id loquitur, quod neque Arnaldus de Villanova, primus carminis editor atque commentator, quamquam rebus Salernitanis quam maxime imbutus fuit scholamque Salernitanam, ubicunque potuit, justa laude effert neque Aegidius Corboliensis, illo non minus in historia scholæ Salernitanæ versatus, hujus rei memoriam injiciunt. Tempori quidem, quo carmen compositum est, Johannem auctorem esse bene responderet, verum etiam Petrus Diaconus de hac re silet, quamquam eum „aphorismum physicis quidem satis necessarium" conscripsisse memorat. Nonnullæ editiones exempli gratia ea, quæ apud Georgium Rau anno 1546 in lucem prodiit, regimen sanitatis Salerni vel scholæ Parisiensi adsciscunt. Omnium vero absurdissimam sententiam Andry [4]) protulit, scilicet carmen duabus fœminis, Tosæ atquæ Rebeccæ Guernæ originem suam debere [5]), quamvis, quid fæminæ Salernitanæ illus temporis in arte medica profecerint, nuperrime demum Choulant pro summo ingenii acumine, quo in litteras inquirit, egregie exposuerit [6]). Quam ob rem si primo carminis versu nec non codice Tulloviano nixi, quem Zacharias Sylvius pro fundamento editionis suæ posuit,

---

[1]) Cf. Virgil. Aen. I, 504. ubi Trojani ante Dido reginam Aeneam „regem" appellant, cui tamen nulla terrarum possessio erat et Corn. Nep. Agesil. I. ubi uterque homo publicus Lacedæmoniorum rei publicæ, ephoris subjectus „rex" vocatur.

[2]) De viris illustr. Casinens. cap. 35.

[3]) Saxii Onomastic. Vol. II. pag. 205.

[4]) Journ. des Savants 1724.

[5]) Cf. Lehrbuch einer allgemeinen Literärgeschichte von Dr. J. G. T. Grässe Dresd. u. Leipz. 1839. zweiter Band, erste Abth.

[6]) Hæser's Archiv für die gesammte Medizin II. 1842. pag. 301.

Ackermanno assentimur, regimen concordante schola tota Salerni compositum esse, nihilominus ex causis modo expositis cum Sylvio Johannem Mediolanum auctorem certo agnoscere non possumus. Neque vero temporis, quo carmen in lucem editum sit, certa memoria prodita est, quum, quod hucusque valuit, carmen eodem tempore, quo Robertus Normannus Salernum reliquerit (anno circiter 1100) conscriptum esse, non solum non comprobatum sit, sed nuper etiam idem fere dimidio sæculo ante, itaque tempore Eduardi confessoris, Anglorum regis, exstitisse non temere propositum sit [1]).

Quod editiones in numero versuum carminis tam longe inter se differant, deficienti codici manuscripto aequali adscribi debet. Postquam enim carmen nostrum ob præcepta, ex quibus constat, diætetica potissimum Monachis, corporis salutis non parum studiosis, acceptum probatumque fuit, hi curaverunt, ut multis exemplis transscriptum divulgaretur. Inter transscribendum vero magnam copiam alienorum ab ipsis confectorum versuum ad exemplar genuinum adjunxere, ita ut scribæ posteriores falsos illos versus a genuinis non amplius distinguere possent et utrosque litteris traderent. Quin etiam ex carmine Aemilii Macri „de viribus medicaminum,“ quod sæculo decimo compositum est, nonnulli versus in regimine inveniuntur, qui tamen forsan jam ab ipso auctore recepti sunt. Arnaldus Villanovanus in sua hujus carminis traditione, commentarios continente, nobiscum 364 versus communicat, verum tamen codices, qui adhuc præsto sunt, sub nomine regiminis valde inter se discrepantem numerum versuum, qui huc pertinere traduntur, habent. Jam Renatus Moreau [2]) memorat, textum vulgarem non 364 sed 372 versus continere, quid tamen sub textu vulgari intelligendum sit, non profert. Codex Treviranus autem continet versus 1073, codex Schenkianus 1239, Naudeanus 183, Tullovianus 1096, Morellianus 544.

Præter scholam Salernitanam ab Arnaldo Villanovano cum commentario editam, a plurimis editoribus recusam, reliquæ editiones et versiones potissimum iis, quas Curio et Crellius anno 1538, Renatus Moreau anno 1625, et Zacharias Sylvius anno 1649 curaverunt, usi sunt. Editionem minoris quidem ambitus, cura tamen ac diligentia, qua elaborata est, ceteris non posthabendam J. C. G. Ackermannus anno 1790 curavit, quæ una cum iis, quas Moreau et Sylvius exhibuerunt, ab auctore hujus dissertationis in usum vocata est. Versionibus fortasse nullum aliud opus ævi medii ita abundat, quam schola Salernitana. Ex iis, quæ hucusque notuere, VIII Germanico sermone, XI Francogallico, V Anglico, VI Italico, singulæ Belgico, Polonico et Bohemico sermone scriptæ sunt. Scriptores etiam libri memoriam faciunt, sermone Hebraico conscripti, qui de eadem fere re ac schola Salernitana agit et forsan ex hac desumtus est [3]).

---

[1]) Choulant Geschichte u. Litteratur der ältern Medizin I. 1841 p. 264.
[2]) Prolegomena in scholam Salernitan. p. 21.
[3]) Ackermann l. c. p. 134.

Quod ad versuum rationem attinet, quam poëta in conscribendo regimine sanitatis secutus est, quum ad eam poëseos speciem pertineat, quam permultæ litteræ ex ævo medio relictæ præbent, non superfluum fore credo, de hac re aliqua verba fieri. Res enim nobis est cum versibus, quos dicunt Leoninos, cujus significationis quæ causa sit atque origo inter viros doctos adhuc disceptatur. Inter omnes constat, linguam latinam, postquam circiter sæculum quintum in ore populi versari desita sit, monachis tantum adhuc usitatam fuisse et a pristino eleganti Romanorum dicendi genere magis magisque discedentem, verbis arabicis, germanicis, slavicis et neo-europæis immixtis, novorum denique verborum inventione auctam, ei dicendi generi locum cessisse, quod ex parte non temere barbarum vocatur. Quo magis vero lingua latina elegantiæ jacturam facere cœpit, eo magis etiam in arte poëtica pristina virtus atque præstantia evanuit, ita ut leges metricæ etsi non penitus negligerentur, non tamen solæ hominum animos in poësin convertere possent. Quare cum arte metrica illud versificationis genus junctum est, quod rhythmizare (Reimen) appellaverunt. Versus vero hoc modo compositi, hexametri potissimum in rhythmum (Reim) quendam redacti, versus Leonini vocati sunt, qui magis artificiosi quam venusti aurem magis captabant, quam veram elegantiam, verumtamen eo excellebant, quod memoria facillime retineri possent. Tales versus, ut ex epitaphio Ludovici pii, regis, patet jam inde a sæculo VIII occurrunt, ex quo tempore ab aulicis et monachis singulari amore colebantur eorumque in deliciis habebantur; a monachis præcipue hanc ob causam, quia id poëseos genus arti musicæ atque rebus divinis concentu ac musice perpetrandis facili negotio adaptari potuit. Quæ versuum componendorum ratio etiam tam varium usum admisit, ut poëtæ ei sæpissime vel legibus metricis penitus neglectis indulgerent. Usitatissima hujus versificationis genera in eo consistebant, ut aut caudæ binorum vel plurium versuum in unisonas syllabas terminarentur, aut venter caudæ aut caput ventri ac caudæ simul hoc modo responderet. Interdum etiam id iis placuit, ut cuique verbo unius versus id, quod eundem locum in altero versu tenebat, rhythmo responderet [1]. Ab his versibus, qui mensuras, pedes et numeros servant, Renatus Moreau, qui fusius de hac re disseruit [2]), illud genus versuum Leoninorum distinguit, qui tantummodo rhythmum quendam servant. Hujusmodi versus vero in schola Salernitana non inveniuntur.

---

[1]) Exemplum primi generis: Si vis incolumem, si vis te reddere sanum
Curas linque graves, irasci crede profanum.
secundi: Temporibus veris modicum prandere juberis.
Salvia cum ruta faciunt tua pocula tuta.
tertii: O Walachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi.
Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.
quarti: Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

[2]) Prolegom. in schol. Salernitan. cap. 5.

Qua de causa vero hi versus Leonini vocati sint, nullibi fida memoria tradita est. Alii quidem scriptores alias sententias de hac re protulerunt, quin etiam suam quisque testimoniis probare studet, verumtamen nulli earum certa fides habenda est. Moreau contendit, eos ita secundum Leonium quendam, Benedictinum et Canonicum Parisiensem, Clericum apud monasterium St. Victoris, circiter medium sæculi XII viventem, nominari, qui eorum quidem non fuerit auctor sed insignis et eximius artifex[1]). Alii illud nomen a Leone poëta derivandum esse censent, quem Aegidius Parisiensis æqualem suum memorat et qui sub finem sæculi XII vixit.

Facile intelligitur, hanc utramque sententiam originem horum versuum nimis seram statuere; majori igitur cum verisimilitudine alii eos Leoni IV, papæ, adscribunt, qui sub finem sæculi IX vixit[2]), sicuti etiam nonnulli autores illud nomen a similitudine versuum cum leonis cauda ducunt. Utut id est, hoc saltem extra omnem dubitationem positum est, versus Leoninos jam longe ante illos viros et cognitos fuisse et cultos[3]).

CAPUT III.

FRAGMENTA CARMINIS SALERNITANI INEDITA.

Ex quo J. C. G. Ackermannus, longe præstantissimus editor scholæ Salernitanæ, nonnisi eos versus, qui apud Arnaldum Villanovanum leguntur, in textu suo recepit itaque tamquam sacrosanctos constituit, hos solos, ceteris omnibus omissis, pro genuinis habere consueverunt. Conjici nimirum potest, Arnaldo Villanovano, quum sub initium sæculi XIV Salerni versaretur, optimam occasionem fuisse, genuinum codicem Salernitanum in rem suam con vertendi. Etiam ea, quæ communicavit, per se saltem ab omni parte probatam auctoritatem habent; quæritur tamen, an hæc auctoritas talis sit, ut omnia reliqua excludere possit, ita ut omnia, quæ

---

[1]) Proleg. in schol. Sal cap. 4.

[2]) Saxii Onomastic. litterar. Tom. II. pag. 117.

[3]) Cf. Dufrêsne Du Cange Glossar. med. et infim. latinitat. sub voce „vers. Leonini."

Quid quod jam apud veteres poëtas passim versus Leonini occurrunt, qui tamen, quum rarissimi ibi sint, non certo consilio originem debere, sed potius quasi fortuito confecti esse videntur. Sic jam Quinctil. L. XII. cp. I. hos versus notissimi Tullii memorat:

Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ
O fortunatam natam me Consule Romam.

Ovidius: Quot cœlum stellas, tot babet tua Roma puellas.

Ennius apud Ciceronem: Hæc omnia vidi inflammari
Priamo vi vitam evitari
Jovis aram sanguine turpari.

apud Arnaldum non traduntur, eo ipso pro falsis, subditiciis atque nequaquam pro Salernitanis haberi debeant. Magna videlicet copia versuum, 1200 numerum excedens, quos diversi, qui præsto sunt, codices continent, demonstrat hoc genus poëseos etiam post sæculum XIII cultum fuisse atque formam, stylum ac sonum versuum Salernitanorum præceptis medicis, ut melius memoria tenerentur, hac veste induendis inserviisse. Sed deest certa regula, secundum quam ea, quæ et paulo post, forsan jam sæculo XII et XIII et ea, quæ multo post hac ratione genuino carmini adjecta sunt, ab iis, quæ vere Salernitana sunt, distinguere possimus. Quid quod ipse Arnaldus fere ducentos annos post carminis originem vixit et quod jam ejus ætate diversa regiminis exempla præsto fuisse possunt; neque ullo modo adhuc probatum est, Arnaldum re vera commentarium suum Salerni exarasse atque exemplar Salernitanum ad manus habuisse. Quum præterea non extra omnem dubitationem positum sit, scholam Salernitanam ipsam carmen suum principale et quidem in usum certi principis edidisse, quum potius verosimile sit, carmen initio memoria tantum servatum et ore hominum traditum dein a singulis iisque diversis scholæ discipulis literis mandatum esse; sic etiam tempore Arnaldi jam diversa carminis exempla præsto fuisse possunt, neque tamen decerni potest, utrum vel id exemplum, quod Arnaldus ad manus habebat, unicum genuinum fuerit, necne. Idem potius de Salernitano carmine valere videtur, quod de annulo in fabula, quam Nathan sapiens apud Lessingium tradit: Annulus genuinus perditus est neque quisquam spurium ab illo distinguere potest. Quæ quum ita sint, illustrissimo Henschelio, præceptori ac fautori dilectissimo, historiæ medicinæ amplificandæ causa, in perscrutandis iis codicibus manuscriptis Silesiacis, qui de rebus medicis agunt, ubique animum ad versus Salernitanos passim occurrentes intendere res magni momenti visa est. In pluribus codicibus ex medio ævo relictis magnas easque continuas partes carminis Salernitani detexit, quæ ex parte a traditione Arnaldi quam maxime differunt, in multis etiam singulos versus margini vel faciei interiori involucri voluminum manuscriptorum inscriptos invenit, qui pro argumento et forma facile ad carmen Salernitanum pertinere possunt. Hos versus majores et minores ab eo religiosissime transscriptos pro summa, qua pollet, humanitate mihi publici juris faciendos tradidit. Quam ego occasionem gratissimo animo amplexus has, ex parte, ut opinor, nondum cognitas easque pretiosas reliquias ævi medii hac mea dissertatione typis expressas, adjectis nonnullis adnotationibus, viris doctis, mediæ historiæ medicæ studiosis, offero, sperans, quum totum argumentum Codicis Schenkiani, qui plurimos versus continet, nondum typis expressum sit, hæc non ingrata fore.

Ut facilius intelligatur, quos versus Ackermannus in exemplo suo tamquam unice genuinos receperit, hos asterisco insigniendos curavi, eos vero, quos præterea etiam Moreau et Sylvius tradunt, infra adnotavi. Quod nonnulli versus vitiis laborant, quæ non tam

efficiunt, ut rhythmus desideretur, quam etiam sensum impediunt, hoc in litteris, quæ ex codicibus manuscriptis depromtæ sunt, evitari non potest. Egomet versus ita imprimendos curavi, uti in codice exstant, passim tantum infra conjecturam faciens, quam, qualiscunque sit, tironis esse perpendas. Adnotationes ad ipsum argumentum pertinentes iis, quibus hoc carmen nondum cognitum neque alia editio ad manus est, non ingratas fore credidi. Turpes errores, quorum emendatio nullam dubitationem admisit, illico emendatos imprimendos curavi. Cui vero aliena etiam commendatione harum litterarum opus esse videatur, huic dicta sint, quæ vir, non solum summa in litteris medicis eruditione sed etiam profidenda arte medica insignis de schola Salernitana protulit:[1])

Die ganze Arbeit ist für uns bei allen ihren Mängeln doch weder historisch noch praktisch unwichtig: historisch nicht, weil sie uns doch einen Blick in das Treiben der Schule zu Salerno thun lässt, und weil das Gedicht im frühesten Mittelalter schon eine solche Berühmtheit erlangt hatte, dass die Schulen zu Paris und Montpellier es, wie behauptet wird, nachahmten; praktisch wichtig ist dieses Lehrgedicht für uns, denn es enthält viele diätetische Regeln und Belehrungen über Wirkung der Nahrungsmittel, welche unmittelbar aus der Erfahrung geschöpft, in den neuern medizinischen Schriften fast vergessen sind.

FRAGMENTUM I.

Hoc fragmentum originem trahit ex vetustissimo Codice papyraceo bibliothecæ regiæ et Universitatis Vratislaviensis III. Q. 1., in quam ex antiqua bibliotheca Vincentinorum translatus est. Constat ille codex ex 100 foliis, in quorum primo hæc inscripta sunt: „de Variis collectis Dni de Lapidariis". Ab una eademque manu velociter et lectu difficile intra annos 1361—1364 scriptus est, id quod ex annis, singulis, quos continet, libellis adscriptis patet. Scriptor nomen gerit Johannis Posenaniensis, de quo illustrissimus Henschel, si, quæ ab eo in codicibus manuscriptis medicis perspecta sunt, publici juris faciet, fusius, ut spero disseret. Fragmentum legitur in folio 69 b. et inscriptum est: „Medicinalis qui dicitur Medicarius". Plura sunt, quibus hoc fragmentum excellit:

I. Alta velustas codicis eum prope ad tempus Arnaldi Villanovani removet atque facit, ut eadem fere auctoritate valeat, qua codex ab ipso Arnaldo traditus excellit. Inter codices regiminis Salernitani hucusque notos praeter codicem Arnaldi nullus tam antiquus est, quam hic.

II. In hac fragmenti antiquitate non levis momenti est, quod alium titulum in fronte gerit atque reliqui codices. Verisimillime

---

[1]) Dr. S. Choulant, Geschichte und Litteratur der älteren Medizin. Leipzig 1841.

vero tituli regiminis Salernitani hucusque noti a scholis Universitatum profecti sunt, a quibus carmen eo tempore, quo litteræ restaurabantur, hominum notitiæ traditum est[1]).

Itaque etiam titulus, quem carmen in antiquissimis editionibus traditionis Arnaldi in fronte gerit nempe „Flos Medicinæ“ abhinc non pro certo amplius antiquissimus habendus est.

III. Summi momenti est, quod primus versus „Anglorum regi scripsit tota schola Salerni“, qui, quid carminis edendi ansam præbuerit, memoriæ tradit, hic plane deest. Is versus sane carmini non certo adnumerari posse videtur, præsertim quum nonnullæ editionum antiquissimarum etiam alterum versum, a posterioribus editionibus omissum, nobiscum communicent:

Anglorum regi scrybsit tota schola Salerni
Ad regimen vite presens hoc medicinale.

Inde elucet, totum hoc initium tantummodo titulum carminis esse, ad ipsum carmen non pertinentem, qui verisimiliter post ipsum carmen compositus et huic adscriptus est. Itaque quum hoc fragmentum antiquissimam traditionem carminis Salernitani sine illo titulo cum longe alia inscriptione exhibeat, auctoritas versus, quo historia de origine carminis Salernitani, per se jam dubia, hucusque sustentabatur, vehementer labefactatur atque sententia, regimen Salernitanum in usum Anglorum principis conscriptum esse, non parum oppugnatur.

IV. Carminis initium, quod hic communicatur, adhuc penitus incognitum est et proprio argumento excellit. Verum etiam ob aliam rem memoratu dignum est, præsertim si id cum traditione Arnaldi conferre velis. Hac enim illico cum singulis præceptis diaeteticis incipiente, illa nostra traditio cum philosophica principiorum, quibus carmen nititur, explicatione exordium facit. Medicinam, docetur, non ab homine mortali sed a Deo omnipotente fundatam esse. Ejus summum non medicamentorum usus, sed diæta est. Ex hac omnia profluunt. Prior est, quam curatio morbi. — Hæc sententia, quæ pro certa regula ponitur, tota respondet indoli antiquissimæ scholæ Salernitanæ, notitia doctrinæ Arabicæ

---

[1]) Memoratu dignum est, quod antiquissima editio, cujus Choulant mentionem fecit, regimen Salernitanum a facultate medica Montempessulana anno 1480 correctum et emendatum esse affirmat eique titulum „Flos medicinae“ tribuit, quum sexta editio Choulantii (Hain Repertor. Bibliogr. No. 13730), quæ primo cum versione germanica in lucem edita est, carmen scholæ medicæ Parisiensi vel penitus adscribat et in textu loco, „Salernis“ „solennis“ [a]) tradat. Hæc demonstrant utramque Universitatem ultima parte tertia saeculi XV. in hoc carmine studia atque operam collocasse ejusque promulgationem sub finem ævii medii ab illis profectam esse.

a) Lectio „solennis“ loco „Salernis“ tantum ab obscura scriptione codicis profecta esse potest, quum sæpius in MSS. „Solernis“ pro „Salernis“ legatur et præterea „r“ in nonnullis MSS. vocabulo „n“ simillimum sit. Itaque quum Salerni in carmine nulla mentio fieret, id ab ipsa schola Parisiensi profectum esse concludi posse visum est, quæ sententia igitur forsan pro sola conjectura, ex scriptorum obscuritate profecta, habenda est.

nondum immutatæ: respondet nomini civitatis Hippocraticæ, quod, quum morbos secundum rationem Hippocraticam diætetice curaret, antiquissimis temporibus gessit.

V. Singula de diætetice, intra cujus solius fines hoc fragmentum versatur, cum eo versu incipiunt, qui in traditione Arnaldi 164 est, quem si ibi legis, sine dubio intercalatum esse neque justum locum tenere videbis. Ibi enim commentationi de singulis rebus immixtus, inter versus de vippa et de caule positus est, ad quem connexum igitur neutiquam quadrat: quum hic tamquam summa regula diætetica, scilicet assuetorum servandorum, aptissimum initium et transitum ad singula faciat.

VI. Carminis argumentum longe alio ordine, quam traditio Arnaldi procedit. Nam de solo fere cibo et potu disserit atque a pane tamquam simplicissimo proficiscens ad vinum, cerevisiam, medonem, aquam, carnem et ad lotionem post mensam pergit, qui ordo sine dubio melior est eo quem traditio Arnaldi sequitur, cujus tamen plures versus hic desiderantur.

VII. Contra vero hoc fragmentum plures versus habet, qui in traditione Arnaldi desunt; nonnullos, quos etiam Moreau, ut nunc videre licet, suo jure in editione sua recepit, sed etiam alios, qui hucusque penitus incogniti erant, ex quibus præcipue candidum illum versum, monachorum indolem pristini temporis bene adumbrantem, efferre volumus:

Dum saltant atavi, patet excellentia vini.

Honorifica medonis mentio in codice vetere Silesiaco mira non est, quum medonem inter potulenta populis Slavicis antiquissimis temporibus in magnis deliciis fuisse constet.

VIII. Fragmentum finitur vel potius interrumpitur, ubi traditio Arnaldi transitum ad singula olera et culinaria facit.

Testatur sapiens, quod Deus omnipotens
Fundavit physicam, prudens hic non figurat illam,
Cum sit hic natus, item accipe: præparatus
Ad finem properat qui modo natus erat.
Nunc oritur, moritur statim, sub ima sepelitur,
Sub pede calcatur, vermibus esca datur.
Huic succurratur, quando bene quis diætatur.
Vitam prolongat sed non medicina perennat.
Custodit vitam, qui custodit sanitatem,
Sed prior est sanitas quam sit curatio morbi.
Ars primitus surgat in causam, quum magis vigeatis.
* Omnibus assuetam dubio [1]) servare diætam
* Approbo, sic esse, ni sit mutare necesse.
* Est Ypocras testis, quando [2]) sequitur mala pestis.
Pauperibus sane sunt esse quotidiane.
* Est pejor meta medicina cuncta diæta [3]),
* Quando [4]) si non curas, fatue regis et male curas.
Pone gulae metas, ut sit tibi longior aetas [5]).
Si vis esse sanus, sit tibi parca manus.

---

1) Ackerm. et alii: jubeo. 2) alii: quoniam.
3) Ackerm.: Fortior est meta medicinæ certa diæta. 4) alii: quam.
5) Moreau.

* Aër sit mundus, habitabilis ac luminosus
* Neque sit infectus nec olens foetore cloacæ
Alteriusque rei tibi spiritus inficientis[1]).
* Panis non calidus nec sit nimis inveteratus,
* Sed fermentatus, oculatus sit, bene coctus,
* Modice salitus, frugibus validis sit electus.
* Non comedas crustam, coleram quæ gignit adustam.
* Vina probantur odore, liquore, colore, sapore.
* Si bona vina cupis, quinque probantur in illis:
* Fortia, formosa, fragrantia, frigida, fusca[2])
* Signant[3]) humores melius vinum meliores.
* Habent nutritum plus dulcia candida vina.
* Si vinum rubeum nimium quandoque bibatur,
* Venter stipatur, vox limpida turpificatur[4]).
* Si fuerit nigrum, corpus confert tibi pigrum.
* Inter prandendum sit saepe parumque bibendum.
Ut minus aegrotes, inter duo fercula potes[5]).
Ut vites poenam, cum potibus incipe coenam[6]).
* Ad mala post ova pocula sume nova.
* Si tibi serotina noceat potatio, vina
* Hora matutina sumas et erit medicina.
* Vinum sit clarum, vetus, subtile, maturum.
* Ac bene lymphatum saliens, moderamine sumtum.
Dum saltant atavi, patet excellentia vini.
* Impedit urinam mostus, solvit cito ventrem,
* Hepatis emphraxin, splenis, generat lapidemque.
* Non sit acetosa cerevisia, sed bene clara,
* De validis cocta granis, satis ac humulata[7]),
* De qua potetur, stomachus non inde gravetur.
* Infrigidat modicum[8]) sed plus desiccat acetum,
* Dicitur, infestat minus, subtilia siccat[9]).
O dulcis medo, tibi pro dulcedine medo
Pectus mundificat, ventrem tibi medo relaxat.
* Potus aquæ sumtus foetentis[10]) valde nocivus,
* Defrigidat stomachumque cibum fecundum[11]).
* Salvia cum ruta faciunt tua pocula tuta,
* Adde rosæ florem, minuunt potenter amorem.
* Est caro porcina sine vino pejor ovina,
* Si tribuas vina, tunc est cibus et medicina.
Carnes porcinæ cum cepis sunt medicinæ[12]),
Sunt gallinaciæ, perdicinæ et phasianæ,
Ast edulinæ carnes tibi sunt medicinæ.
* Sunt nutritivæ multum carnes vitulinæ.
Cessat laus enim nunc gallinæ laniatis.
Dissuadentur edi renes non salvis, edi
Splen, melancholiam gignant, digestivam tibi tollant.
* Digeritur tarde cor, digeritur quoque dure

---

1) Moreau: corpus nimis inficientis.
2) Ack.: frisca. 3) Ack.: gignit et 4) Ack.: turbificatur.
5) et 6) Zach Sylvius.
7) humulatus, humulus ex Gall. Houblon, a Latino „Lupulum" formatum cf. Dufrêsne Du Cange l. c. Reliquæ editiones exhibent: veterata.
8) In margine codicis: macerat.
9) Ack.: siccos infestat nervos, subtilia siccat.
10) Ack: fit edenti; alii: comedenti.
11) Ack.: cibum nititur fore crudum. Zach. Sylvius: Hinc friget stomachus crudus et inde cibus.
12) Moreau.

* Similiter stomachus, melius tamen extremitates.
* Digeritur facile pulmo, cito labitur ipse.
* Reddit lingua bonum nutrimentum medicinæ.
Est melius cerebrum gallinacium passerumque,
Sed bene turturis aliud quodcunque vitare.
O fluvialis anas, quanta dulcedine manas;
Si bene cavissent et singla frumenta dedissent
Febres quartanas non revocasses anas [1]).
Est caro cervina, leporina, caprina, bovina,
Est anserina caro salsa, sicut est anatina.
Ista melancholia super debilibus inimitata [2]).
Aucha [3]) petit Bacchum mortua, viva lacum [4]).
Frixa nocent, lixa coërcent, fovent assata [5]).
O puer, ante dabis tibi aquam, post prandia dabis.
Post mensam bis aquam sumas, si forte lavaris.
Ren tibi ulceras tibi [6]) fundum non patiaris.
Os extra madefac, dum pluribus associatus,
Si solus fueris, poteris interiora lavare.
* Lotio post mensam tibi confert munera bina:
* Alveas [7]) mundificat et lumina reddit acuta.
Carnes propositæ piscibus tibi sunt evitandæ.
Si comedas pisces, cestosæ sintve squamosæ,
Tractæ super aquam mundam claramque petrosam,
Et sint bulliti vino cum petroselino.
Jus olerum siccorumque bonum, substantia prava [8]),
Jus carnis solvit sed cum substantia stringit,
Utraque quando datur, venter laxare paratur [9]).
* Rapa juvat coitum, favet producere ventum.
Ventum sæpe rapis, si tu vis vivere rapis [10]).
* Provocat urinam, faciet et in dente ruinam.
* Si male cocta datur, hinc emphraxis [11]) generatur.

FRAGMENTUM II.

Etiam hoc fragmentum alta vetustate excellit. Quum enim primo decennio sæculi XV scriptum sit, versus verisimiliter non seriori tempori quam sæculo XIV originem debent. Codex papyraceus est in 8, ex bibliotheca Rhedigerana, quæ hic est, desumtus. Scriptus est aut in Silesia superiori ab homine linguæ Bohemicæ perito aut in ipsa Bohemia. Fit enim in pagina 32—35 explicatio cognitæ illius figuræ venæsectionis, cujus in fine hæc verba leguntur; „Explicit tabula, quæ dicitur fleubotomica ad mandatum Dm. Johannis Prepositi dicti Sobyehrd patris mei dilecti. Tlybyla my byelkadaty byelka.“ Invenitur quoque ad calcem notissimorum Problematum Aristotelis in pagina 43—75 hæc nota: „Con-

---

1) Moreau etiam tres versus de anate tradit, quorum primus a nostro non differt sequuntur autem:
Si mihi cavissem, si ventri frena dedissem,
Febres quartanas non renovasset anas.

2) Ista melancholicis, super debilibus, inimica? 3) Aucha = anser.
4) Moreau. 5) Mor. et Zach. Sylv. 6) si ibi?
7) Reliquæ editiones: palmas. 8) Moreau: Jus olerum cicerumque etc.
9) In reliquis editionibus hic versus invenitur, ubi de caule agitur.
10) Moreau. 11) Ack. tortio tunc.

summantur probleumata Aristotelis sub anno Dm. Milles.[1]) VIII post Octav. Nativ. B. M. V. pro honorabili Dmno preposito de Opatowicz[2]). Scriptor hujus codicis, multa memorabilia continentis, scholae Salernitanae amicissimus fuisse videtur: saepenumero enim versus carminis Salernitani et in margine et in textu citat: in pag. 134 vero legitur fragmentum majus, infra communicandum, cujus versus eo excellunt, quod maxima ex parte hucusque typis non expressi sunt. Memorabile est, quod eorum quoque initium a vulgari differt, qua re probatur, quam variae ac diversae traditiones et exempla hujus carminis jam saeculo XIV exstiterint. Praecepta diaetetica vero, in hoc fragmento tradita, recto judicio atque experientia nituntur.

Hæc præcepta sequi debes aliosque docere,
Qui vitare volunt morbos et vivere sani.
Non bibe non sitiens et non comedas satiatus.[3])
Cum male te sentis, confert si balnea vites.
Lotus, jejunus, post somnum non bibas statim.
(Non) detecto capite sub frigore non gradieris,
Nec sub sole, tibi sunt quia hæc inimica.
Jejunia, dolor capitis, oculi, febres, ulcera, plagæ,
Repletus venter, densa æstas balnea vetant.
Nec principiis obsunt prosuntque minuta.
Non consuevisti cœnam, cœnare nocebit
Res non consuetas, potus, cibos peregrinos;
Pisces et fructus, fuge crebras ebrietates.
Omnem post esum bibere, ne te fore læsum.
Qui possit, vere debet hæc jussa tenere.
Est sitis atque fames moderata bonum medicamen[4]),
Cumque superfluitant, important sæpe gravamen[5]).
Cures, quando bibes, hausto numquam satieris,
Sæpe parumque bibes, sanus post talia vives.
Quandocunque potes, parce post balnea potes.
Mensibus in quibus Us sopor est post prandia bonus,
Mensibus, in quibus Er post prandia fit sopor æger.
Ista nocent oculis: nocturna refectio, potus,
Pulvis, scriptura, fletus, vigilia, cura,
Balnea, vina, Venus, lens, piper et allia, cepæ[6]).

FRAGMENTUM III.

Fragmentum nunc communicandum invenitur folio 48 Codicis papyracei bibliothecae, quae hic est, regiae sub signo 1. Q. 466. Quis codicem conscripserit et quo tempore, cernitur ex secundo ejus capite, quod hunc titulum in fronte gerit: „Nomina glosarum describimus hic variarum.“ Cujus in fine haec leguntur: „Explicit

---

[1]) Annus numero, quem dicunt minorem, adscriptus est, ubi sæculi numerus pro cognito præsumitur. Codex, quantum ex forma scripturæ colligere licet, non anno 1308 sed demum 1408 conscriptus esse potest.
[2]) In Silesia plures pagi nomen Opatowicz gerebant, verum etiam unus in Bohemia.
[3]) Moreau [4]) et [5]) Moreau et Zach Sylvius. [6]) Ackerm. aliique nonnullos quidem versus de nocumentis visus tradunt, sed plane alios.

Glossarius de diversis vocabulis per manus fratris Nicolai de Cosla", qui illustrissimo Henschelio auctore primo initio saeculi XV vixit atque hunc codicem circiter annum 1417 scripsit. Exceptis nonnullis jam cognitis versibus scholae Salernitanae, cujus hic idem initium est, quod in traditione Arnaldi, in hoc fragmento partim versus insunt, qui etiam in aliis non Arnaldinis traditionibus inveniuntur, partim vero omnino incogniti sunt, ex quibus nonnulli, uti exempli gratia duo ultimi versus, candidam atque simplicem indolem antiquissimae monachorum poëseos omnino prae se ferunt.

Si vis perfecte, si tu vis vivere recte,
Disce parum bibere, sis procul a Venere.
* Si tibi serotina noceat potatio, vina
* Hora matutina rebibas et erit medicina.
Stercus et urina sunt medico fercula prima,
Hydrops, Quartana sunt medico scandala plana.
Surge mane cito spaceatum pergito cito.
Mane petas montes, medio nemus, vespere fontes.
Hæc hominem faciunt sanum hilaremque relinquunt.
Hæc præcepta sequi debes aliosque docere.
* Surge post epulas, fuge somnum meridianum.
* Hæc quatuor ex somno proveniunt meridiano:
* Febris, pigrities, capitis dolor atque catarrhus.
Si vitare velis morbos et vivere sanus,
Non bibe non sitiens et non comedas saturatus.
* Non retines minctum, ne cogas fortiter anum,
Non ventrem stringes, retines bombum veteratum.
* Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:
* Spasmus, hydrops, colica, vertigo, quatuor ista.
Mensibus R. quibus est, somnus post prandia abest,
In quibus R non est, somnus post prandia prodest.
Dum paris [1]) poma de vertice duc periryzoma,
Quando paris [2]) pyra, tunc primo de vertice gyra.
Tolle per Ypsimam, post ede pulpam, sperne arullam.
Antiquo more mingens pedit absque pudore.
Mingere cum bumbis est res sanissima lumbis.
Non cesses mingens, si rex processerit iens.

FRAGMENTUM IV.

Hoc fragmentum invenitur in Codice papyraceo bibliothecae hujus urbis regiae sub signo III. Q. 5. Codex originem ducit ex bibliotheca monasterii Carmelitarum Gross-Strenziani. Constat ex pluribus libellis, a diversis manibus et diversis temporibus saeculi XV scriptis, qui postea, verisimiliter sub finem saeculi XV in unum idemque volumen conjuncti sunt. Non certo igitur annus constitui potest, quo hoc fragmentum scriptum sit. Quum tamen uni ex his libellis et quidem ei, qui nostrum fragmentum proxime antecedit, folio 314 annus 1443 adscriptus sit, id fragmentum ante medium saeculi XV scriptum esse videtur, cui tempori scripturae

[1]) et [2]) carpis?

quoque forma omnino respondet. Propter duplicem causam hoc fragmentum memoratu dignissimum habemus: primum propter magnam copiam versuum, quos tradit, ignotorum; deinde propter manifestam, quam praebet, refectionem antiqui carminis Salernitani. Quod ad illud attinet, magnam copiam versuum de oleribus et plantis medicis laudamus, de quorum natura, virtutibus et usu diaetetico hic agitur; qui versus in traditione Arnaldi plane desunt. Huc pertinent versus de Silere montano, Scabiosa, Carvo, Liquericia, Balia muscata, Cimino, Aniso, Aneto, Pastinaca, Spinacia, Apio, Levistico, Lactuca, Capillo Veneris, Portulaca, Sambuco, Acedula, Buglossa, Centaurea, Sperago, Solsequio etc. etc. Qua cum traditione si Arnaldi contuleris, commentationem de hoc genere remediorum vegetabilium diaeteticorum apud Ackermannum a versu 170, qui de caule agit, incipientem et in versu 230, de pipere, consistentem invenies. Quum igitur in traditione Arnaldi tantummodo 27, quae vocant culinaria in medium proferantur, qui numerus nequaquam universam copiam remediorum hujus generis tunc temporis usitatorum complectitur, illam traditionem omnino non perfectam habere possumus, praesertim quum commentationi de hisce rebus inde a versu 230 res plane diversae (vitia auditus et visus) proximae adjunctae sint. Itaque quum versus infra communicandi totam indolem ac formam genuinorum versuum Salernitanorum prae se ferant, opinio saltem non inepta videtur, has nostras traditiones olim partem carminis Salernitani fuisse, quae fortuito tantum in notitiam Arnaldi non venerit. Continet porro hoc fragmentum inde a versu „Temporis aetatis regionis" etc. usque ad hunc „Nulla debet penitus purgans dari medicina" commentationem de principis ad therapiam generalem pertinentibus, praecipue de digèstione, remediis emeticis et purgantibus, quae forsan versibus regiminis Salernitani de phlebotomia, igitur versui 345 adnexa fuit vel potius inde a versu 296 illis introductioni fuisse potest. Mirum saltem est, quod traditio Arnaldi tam accurate de phlebotomia agit nec quidquam tamen de reliqua methodo evacuante tunc temporis usitata continet. Itaque si hi nostri versus re vera ad carmen Salernitanum pertinebant, id quod tamen non certo affirmare volumus, haec carminis refectio digna est, quae ab omnibus respiciatur. Hoc tamen fere prorsus contendere velimus, versus infra tradendos inde a „Plures et Synochus" usque ad „Huic pars nigrans" partem genuini carminis fuisse. Incipit enim haec commentatio apud Ackermannum capite 90 versu 287, enumeratis quatuor humoribus, ab enumeratione signorum et sequelarum humorum in morbis abundantiae. Ast vero nonnisi de sanguine agit, versu 290 seq.: „Si peccet sanguis" etc., signorum abundantiae reliquorum principalium humorum nullam mentionem faciens. Cui commentationi igitur quum in nostro fragmento[1]) explicatio signorum ex colera, flegmate et atra bile

[1]) inde a versu „Et ver subtilis regio" etc.

2

redundantium adjecta sit, quae hanc rem accurate perlustrat, dubitari nequit, quin hi nostri versus loco memorato genuini carminis Salernitani adjungi debeant idque re vera reficiant. Nimirum etiam Moreau in codicibus, quibus utebatur, nonnullos ex his versibus invenit, quorum etiam mentionem facit, nec tamen accuratius de iis agit.

Incipit versus 1—21 Ackerm., sequitur:

Si fore vis sanus, sit tibi parca manus.
Ut medicus fatur, parcus a morte levatur.
Pone gulae metas, ut sit tibi longior ætas.

Seq. v, 22—24. 26—28. Intercalatur:

Frixa nocent, elixa fovent, assata coërcent.

Seq. v. 70. 29—38. 40. 39. 41—42. 54—59. 62—66. Interponitur:

Est cortex per se sicut furfura mixta farinis.
Grossior est simila subtilior ipsa farina.

Seq. 71—74. 8. Interponitur:

Cessat laus epatis, nisi gallinæ vel anatis.
Dissuadentur edi renes nisi solius hoedi.
Splen capre spleneticis sæpe est mansus salubris [1]).

Deficiunt v. 290—291 (Si peccet *sanguis* etc.) tunc additur:

*Est pulsus mollis, frequens, plenus, dolor ingens
*Maxime fit frontis et constipatio ventris,
*Siccaque lingua, sitis et somnia plena rubore.
*Dulcor adest sputi, sunt dulcia alia [2]) quoque.
Plures et synochus — — — — — hic generantur
Post longum tempus alchites exitialis.
Et ver, subtilis regio, subtilisque diæta
Accusat *coleram*, dextre dolor, aspera lingua,
Tinnitus vomitusque frequens, vigilia, sitis,
Multa sitis, fellis egestio, torsio ventris.
Nausea fit, morsus cordis languescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, veloxque calescit,
Aret, amarescit, incendia, somnia signat.
Pruritus coleram jecorisque calor comitantur.
Flegma superveniens propriαs in corpore vires
Os facit insipidum, fastidia, crebra saliva,
Costarum, stomachi, simul occipitis dolorem.
Pulsus est rarus et tardus orbusque inanis
Præcedit fallax fantasma, somnus, aquosa
Talisma [3]) risi [4]) præcedit medicina.
Excubet in foribus passio nervi lateris.
Longa quies tali damnatur suspicione.
Mollis hiems, senium regio conformis et esca
Melan dat splenem, ructum crudum, scotomiam.
Auris læva sonat, corpus paciatur achoream.
Mania, cancer, hydrops, emoroys hic generatur,
Syncopis atque fames, elephancia phæda creatur.
Huic pars nigrans, huic est indicatio pestis.
Temporis, aetatis, regionis, moris, vesce [5]).
Consule naturam, poteris prudentior esse.
Est medicus, qui scit morbi cognoscere causam,

---

1) Cessat — salubris, Moreau. 2) Ack.: acria. 3) Ptyalismus.
4) risus. 5) Scil. nutrimenti.

Quando, qualis est, nomen et omen habebit.
Sunt medico plura super ægroto respicienda:
In membro crisis atque situs, plasmatio, virtus,
Morbi naturam patientes conditiones:
Digere materiem crudamque repelles nocivam,
Mollifica duram, compactam solve fluentem.
Edere dum laxat, vitandum, somnus et alit.
Auræ temperies [1]) motus [2]) vomitus reprimatur.
Laxativa vomit venter, dum languet cruore.
Potio sedanda sit herbis, quandoque notanda
Ars, ætas, regio, virtus, complexio, forma,
Mos et symptomata, repletio, tempus et aër.
Sit potus optimus, usus levitas medicinæ.
Oppositis curis vomitum laxat [3]) videbis.
Si calor est nimius vetus vehemensque pri una [4]),
Nulla debet penitus purgans dari medicina.

Sequitur de rapa 142—144. — Urbanus de scabiosa.

Siler montanum [5]) non sit tibi sumere vanum,
Dat lumen clarum, quamvis gustu sit amarum [6]).
Semen cum vino sumtum Veneris movet actus
Atque senes ejus gustu juvenescere facit
Sic quoque pulmonis obstat jecorisque querelis.
Semen fœniculi curat spiracula culi,
Urinare facit carvi ventumque repellit
Lumbricosque necat digestionemque reparat.
Dum carui carvi, non sine peste fui.
Sic tibi comesta Liquericia pulverisata
Pellit namque sitim, stomachi nociva repellit,
Spirituum cunctis sic ipsum subvenit instrumentis.
Balia muscata [7]) confortat debilitata,
Corda juvat, stomachum, scothomiam tollit oc(u)lorum.
Confortat stomachum, coitum quoque, mingere cogit.
Emphraxes hepatis reserat et mensfrua stringit.
Ventosum stomachum tibi tranquillat Ciminum [8])
Et dat præmissum pallentem fere colorem.
Algores stomachi tenaces renibus aufert.
Postquam datum mollit ventrem, fastidia tollit.
Sisar ante datum morbum curat inveteratum,
Post cibum sumtum ....
Tu me semper ama, quem tibi do.
Emendat visum, stomachum confortat Anisum [9])
Copia dulcoris Anisi stat melioris [10]).

Seq. 153—158 de spodio et sale. 159—61 de saporibus.

Humectat, lenit, bene nutrit, mundificat,
Dicunt, infestat nervos, subtilia siccat,
Comprimit, ingrossat, post cito laxat ..... sapor acetosus
Uberat, evellit, repletque, supernatat cruore ..... unctuosus
Incedit, grossat, penetrat. Si proxima exit
Valde deopilat, confortat pectora, stringit ..... amarus
Subtiliat, mordet, callet, urit, grossa resolvit ..... dulcis.

Seq. 162—163 de vippa, additur:

Quod minus est, implet, quod magis est digerit offa.

---

1) temperie? 2) motu? 3) laxare? 4) ruina?
5) Moreau sub silere montano Ligusticum intelligendum esse contendit.
6) Hactenus etiam Moreau. 7) Ocimum Basilicum L.
8) Cuminum Ciminum L. 9) et 10) Moreau et Zach. Sylvius.

Seq. 165—168 de diæta, 169—170 de administratione diætæ, 171—172 de caule.

Anetum [1]) ventrem prohibet stringitque tumorem,
Ventres repletos prius facit esse minores [2]).
Pastinaca modicum ingerit, quia non subacuta,
Confortat coitum, non est menstri us juncta [3]).
Quod pastum tribuat, est pastinaca vocata,
Namque cibum melle dant radices meliores.
De colera læso Spinacia convenit ori
Ac stomachis calidis est illius esus amari [4]).
Humores Apium [5]) subito tutius adjuvat.
Corporis et capitis pueris epilationem dat.
Hepar opilatum frigore Levistici querunt
Torsio ventosa medicinæ menstrua clausa.
Lac Lactucæ facit scothesin, sperma minorat.
Semen Prillotos mundat ... convenit igni
Curat emoroydas semine cortice demtis.
Gignit colicam, capitis curat ipsa dolentis
Præcisio nervis cum melle combustaque membra.
Vultus deducit rugas, maculas fugit omnes.
Ciparis os sanat hepar comparat plenum
Cogit et astrictos .... laxat amictus
Hepar cum aperit Plantago stillat cum fit.
Prosit emoptoymque sacrumque coarceat ignem.
Esse Capillatos Veneris [6]) facit esse capillos
Veterique spleni scrophulis lapidique medetur.
Confortat stomachum, tollit nocumenta, tenesmum,
Anxios exhilarat, membra sapore juvat.
Portulaca caput juvat dentesque, soporem
Curat et ardorem matricis, vulnera renum.

Seq. de mentha 176—177.

Lumbras ascarides Sambuci sunt proponentes [7])
Et stomachum mollem reddunt vomitum facientes.
Omne genus fluxus Acedulam [8]) stringere dicunt.
Pellit abortivum partum vel subdita tantum
Trita super stomachum, viridis si ponitur herba.
Confortat causas et pectoris omnes
Serpentes fugat libitumque venenum.
Auris depellit sonitum. Cum felle bovino
Noxius et crudus stomachi purgabitur humor.
Obstat pestiferæ cum vino sumta tyrace [9]),
Nausea non poterit quemque vexare, mania.

Seq. 178—184 de salvia.

Salvia dat sanum ut facit hoc adrianum
Ægris dat sanum [10]) vomitumque tollit adustum,
Compescit tussim veterem tollitque medetur,
Pellit pulmonis frigus ventrisque tumorem.
Omnibus ac morbis subvenit articulorum
Plenus ac formæ macris cum carne bovina.
Quilibet infixus superaddita trita repellit.
Demonius fumus dicitur depellere hujus.

---

1) Anethum graveolens L.
2) Moreau: Ventos repletos pravis facit etc.
3) Moreau: Illa parum nutrit, quia non subacuta — Confortat coitum, non est ad monstrua muta.
4) Idem fere Moreau de Spinacia tradit. 5) Apium graveolens L.
6) Adiantum Capillus Veneris L. 7) protinentes?
8) Rumex acetosa L. aut Oxalis acetosella L.
9) tyrace pro theriaca. 10) somnum?

Pectoris hos varios compescit potio morbos.
Accelerat partus pellitque secundos,
Dicitur hoc eodem lateris sedari dolorem.

Seq. de hyssopo 204—209, de cepis 194—195.

Cum tria grana voret Coriandri seminis æger
Eredet febrem, cui lux dat tertia nomen.
Xenocrates ait totidem cessare diebus,
Menstrua quot mulier Coriandri vorabit.
Confortat stomachum, ventum removet Coriandrum [1]),
Et quia stringit humores [2]) fluxus amandum amandis.

Seq. de enula camp. 210—217.

Vim memorem cerebri dicunt servare periti
Vinum potatum, quo sit macerata Buglossa [3]).
Qui portat secum, non pungit scorpius ipsum.

Seq. 105—109 de ruta.

Centaurea juvat nervos partusque fecundat
Sicut et vulnus solidat, visus meliorat,
Incisas carnes radix contacta resarcit.
Augmentat sperma Speragus [4]) colicoque dolori
Subvenit, in motu seu dentis convenit ori.
Incubat Solsequium [5]) cicorea sponsaque solis.
Ambrosiam [6]) fugiunt mala morphea fistula cancrum.
Allia qui mane jejune sumserit ore,
Hunc ignotarum non laedit potus aquarum
Nec diversorum causa mutatio locorum.
Allia fœtorem pellunt variantque colorem,
Clarificat raucam crudum coctum quoque vocem.

Seq. 190—193 de cepis, 196—197 de sinapi.

Esca mihi Napi sunt bona, suntque Sinapi [7]),
Urinas potata curat lapidem tollit.
Lætos convivos decoctio reddere fertur.
Cancros enidat [8]), pascentia vulnera curat.
Cum Raphano modicoque salis superaddita trita
Torras et lepras cura compescit, eadem
Splen jecor et lepras renes cum mulsa sumta.
Ipsam Diascorides cunctis erit esse caducis
Aptam si bibitur vel suspenditur ipsa.
Esula radices præbet catapucia semen
Sed lac et pisces medicis Anabula [9]) ministrat.
In quibus est Squilla lupus devitat illa.
Squilla vitat fluxum, valet ictericis et hydropicis,
Flexurasque pedum salsa reperta juvat.
Pectus flegmaticum pellit solvitque venenum,
Prodest pulmentum splenisque solvit tumorem.
Febribus occurrit, sic prodest supra venenis.

---

[1]) Solum hunc versum Moreau de Coriandro tradit. [2]) humorum?
[3]) Hactenus etiam Moreau, qui tamen versum antecedentem sic exhibet: Mœrorem cerebri dicunt auferre etc. Buglossa = Borago officinalis L.
[4]) Asparago officinali vix sedativa virtus adscribi potest, igitur potius de Asparago amaro De Cand. sermonem esse credo.
[5]) Cichorium Intybus L.
[6]) Apium graveolens L.?
[7]) Hic deesse videtur versus.
[8]) evitat?
[9]) Euphorbia Cyparissias L.

FRAGMENTUM V.

Detectum est in codice I. F. 334. regiae bibliothecae Vratislaviensis, qui diversissimas commentationes a totidem manibus et diversis temporibus scriptas in unum volumen conjunctas continet. Quarum commentationum nonnullae annum 1372, aliae 1428, ultima 1469 exhibet. Illustrissimus Henschel hoc fragmentum sub medium saeculi XV scriptum esse censet. Nos id magis quia ab aliis valde differt, quam propter versuum copiam atque gravitatem in lucem edimus.

* Si vis incolumen, si vis te reddere sanum
* Curas linque graves, irasci crede profanum.
Triste cor, ira frequens, mens raro gaudia volens
Vitam consumunt, hæc tria fine brevi.
Surge mane cito, spaciatum perge sero [1]),
Mane petas montes, medio nemus, vespere fontes [2]).
* Parce mero, cœnare parum non sit tibi vanum,
* Surgere post epulas, fuge somnum meridianum.
Coena completa completur tota diæta.
Nocturna coena fit stomacho magna poena,
Coena levis vel coena lenis fit raro molesta.
Magna nocet, medicina docet, res est maica
Passio gy [3]) nimis edo me paralitica tangit,
Et si forte jus bibo me fortius anxit.
Est sitis atque fames moderata bonum medicamen [4])
Cumque superfluitant, important sæpe gravamen [5]).
Si sitis est, bibe quod satis est, ne te sitis urat,
Quod satis est, non quod nimis est, sapientia curat.
Potum quando bibis, hausto numquam satieris;
Sæpe parum bibas, sanus post talia vivas.
Non differ mictum, ne cogas fortiter anum,
Non ventrem stringas, retinens bombum veteratum.

FRAGMENTUM VI.

Tres sunt causæ, quibus commoti hoc fragmentum, quod in Codice IV. Q. 93. bibliothecæ hujus urbis regiae traditur, publici juris facimus, primum propter multos, quos affert, versus in traditione Arnaldi non communicatos, deinde propter versionem germanicam, iis adjunctam, quae verisimiliter earum, quae cognitae sunt, antiquissima est. Ackermannus versionem germanicam in fol. apud Crewsnerum anno 1474 editam antiquissimam laudat, neque vero versio, quam Choulant [6]) s. l. e. a. 4° apud Hainium sub Nro. 13730 traditam esse memorat, multo antiquior esse videtur: itaque haec nostra versio, quum anno 1443 aut summum anno 1459 scripta sit, ut pretiosum pristinae poëseos patriae monumentum palmam summae vetustatis accipere debet. Denique etiam hoc fragmentum communicamus ob calendarium, quod ei

---

[1]), [2]), [4]), [5]) Versus etiam aliis noti.
[3]) si.
[6]) l. c. p. 268.

adjectum est, phlebotomicum ac diaeteticum memoratu dignissimum. Constat enim, medicos aetatis mediae diaeteticen atque usum remediorum regulis quibusdam subjecisse calendariis, quae tam ex astrologicis quam, quod ad primam originem attinet, ex pseudohippocraticis principiis ortae erant. Illustrissimus Henschel magnam copiam hujus modi regularum calendariarum collegit, quae principia praeceptorum diaeteticorum usque ad saeculum XVII vel XVIII in calendariis domesticis traditorum continent. Mirum vero est, quod ista calendaria praeceptis scholae Salernitanae hic continuo adjuncta apparent. Jam igitur saeculo XV vel etiam antea hominum opinio fuisse videtur, ista calendaria originem suam a Salerno petiisse, neque vero eorum forma neque argumentum huic opinioni repugnat. Dilectissimi praeceptoris mei in manibus est calendarium tale diaeteticum ex anno 1397 — cognitorum, ut videtur, antiquissimum — quod multo simplicius est quam id quod nos communicaturi sumus; forsan etiam pro hujus exemplari haberi potest. Calendarium illud Henschelianum infra adjectum est[1]). Simul extremae hujus partis calendariae carminis Salernitani illustrissimus Henschel varias lectiones ex duobus aliis bibliothecae regiae propriis manuscriptis codicibus saeculi XV., sub signo III. Q. 5. ex anno 1443 et II. O. 1. ex anno 1446 reliquis, adjiciendi nobis potestatem praebuit. In fine hujus libelli haec leguntur: „MCDXLIII Quarta feria ante pentecostes horarum quasi quinta decima factus est motus terre“. Verisimiliter igitur hoc fragmentum inter illas temporum angustias scriptum est: alius quidem libellus hujus codicis annum 1459 in fronte gerit, verumtamen nostrum fragmentum nobis anno 1443 scriptum esse videtur.

Anglorum regi scripsit tota schola Salerni.
    Dy meyster der schul Solern weyt bekant
    Schreyp dem Konige von engil lant
    Dis kegin wertige arczt bucheleyn
    Wy de mensche bewar das leben seyn.
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas linque graves, irasci crede profanum.
    Wiltu haben deyn hercz gesunt
    Wiltu starg seyn vnd mit sichtum unvorwunt
    Bis frolich, zorn lass vor dich gan
    Grosse sorgen saltu varen lan.

---

[1]) Januarius: Escas per Janum calidas est sumere sanum.
Febr.: Hic cave frigorem, de pollice sume cruorem.
Mart.: Hic assature cibi sint et balnea curæ.
Apr.: Venter solvendus, cruor pedis est minuendus.
Maj.: Apsynthii loco edes cocta lacte caprino.
Jun.: Lactuce frondes ede cum pomis, bibe fontes.
Jul.: Venam non ledas, hoc vitandum fore credas.
Aug.: Hic calidos vitare cibos hoc mense nocivos.
Sept.: Hic venam pandes, species cum semine mandes.
Oct.: Lac ede caprinum, cariophilos lacque ovinum.
Nov.: Hic utaris homo speciebus cum cynamomo.
Dec.: Aptæ sunt membris calidæ res mense Decembris.

Triste cor ad mortis te cogit currere metas,
Spiritus ...... facit ut floreat etas.
Das betrubete hercze twingit offte vnd vil
An menschin zu des todis czyl,
Aber der froliche mensch zu aller stunt
Macht offte das das alder grunt.
Triste cor, ira frequens, mens raro gaudia volens:
Hæc tria consumunt corpora fine brevi.
Das betrubete hercze vnd stetir czorn
Vnmut das dy frewde hot vorlorn,
Dy drey wrczern den leyp behende
Vnd das hercze gewinit eyn korczes ende.
Si medici desint, medicamina sint tibi illa
Hæc tria: mens laeta, requies, moderata dieta.
Hostu gebrechen an ercztin und an ercztcye
Zo habe an dir dy ding dreye
Vroe und frolicher mut
Misige tage reysse dy sint dir gut.
In dextro latere somnus tuus incipiatur,
Ad latus oppositum finis tibi perficiatur.
Wiltu seyn eyn gesunt man
Zo hebe deynen sloff uff der rechtin seytyn an
Vnd off der linken seytin allemol
Eyn iczlich mensch seyn sloff vollbrengen sal.
Post somnum mac vadas tu membra movendo,
Recte caput lavaque manus, donec ipsa tepescant.
Noch dem sloffe bis nich trege
Deyne gelidir alzo bewege,
Zo lange das du sy erwermist gar
Zo twach beyde hende vnd richte deyn hor.
Vestibus indutus bene dentes osque lavabis.
Si vis esse sanus tunc ablue sepeque manus.
Du salt wasschen dy czene vnd den munt
Vnd dich warm anlegen czu allir stunt.
Wiltu seyn gesunt czo scicke
Das du deyne hend vascht offte vnd dicke.
Non tecto capite sub frigore non gradieris
Nec sub sole, tibi sunt quia hec inimica.
Mit blossem hewpte gee nicht yn der kaldyn
Wiltu deynen gesunt lange behalden,
Noch in grosir hycze der zonnen
Wenn dy czwe der seldin brengen fromen.
Tu numquam comedas, nisi stomachum ante moveris
Purgatum vacuumque cibo, quem ante sumseris.
An essen saltu seyn gesewnet
Bis du deynn magin host gerewnet
Und gedayt dynis leybis kost
Dy du vor an dyr genomen host.
Ex desiderio poteris cognoscere cibum
Hec tibi sunt signa subtilis in ore saliva.
Aws deym geer magist du balt
Irkennen wen du essen salt
Vorwar das synt dy czeychen
An dem munde dy derwecken speychen.
Non facies quantum potes, mimis cave potum,
Mollia præmittas, hinc fercula dura sequantur.
Weyche speyse ys zum erstin an
Und dy herten lass dornoch gan.
Du salt dich nicht essen al zu sath
Tring ouch wenig das ist meyn rat.

Tu utaris medio ventre cibo vacuato,
Avicenna docet, carnem calet, cibum auget.
    Der speyse du messeclich gebrawche
    Weun du geledigist hast den bawch.
    Avicenna leret das das fleysch allrmeyst
    Hyczt den leyp und sterkit den geyst.
Sunt sitis atque fames moderata bonum medicamen,
Qui si superfluunt, important sepe gravamen.
    De hunger vnd dorst sal messig seyn
    Zo wirt gelengit das leben deyn
    Wiltu ys adyr zu vil pflegen
    Zo beswerst du leyp vnd leben.
Cesses cibarii desiderio aliquali,
Stomachus repletus si nimium perstet et luctet.
    An essen saltu abelossen
    Mit gutyn willen vnd etlichr mossen,
    Wenn dicke vollunge des magen
    Gebit dir betrüpnis vnd grosse clage.
Tempore tu veris modicum prandium juberis
Et calor æstatis dapibus nocet immoderatis.
    An dem lencze czu der czeyt
    Is wenig vnd meyt
    Und fleuch oberflessige in dem zoomir
    Hicze dy dir schaden hringet vnd koomir.
Autumni fructus sumosque dant tibi luctus.
De mensa sume fructus quantum vis tempore yemis.
    Vormeyt des herbist erste frucht
    Zy brengit den leyp ey grosse sucht,
    Aber yn der czeyt des winters czyr
    Nym von dem tische der frucht noch begyr.
Hec bona sunt ova longa parvaque nova
Et gallinarum tibi sunt et non aliarum.
    Lange eyer vnd cleyne sint dir gut
    Welche newe synt dy habe yn deyner hut.
    Czu hüner eyer habe gantcze pflicht.
    Vnd czu den andern vogiln nicht.
Dissuadentur edi renes ni solius egle,
Anser vult coctas herbas paludemque vino.
    Von allyn tyren is nicht das sage ich dir
    Alleyne von der czcyge das glowbe mir.
    Gense saltu essen mit worcze
    Wan si libet zo geet sy yn dys pfucze.
Sani sunt pisces si cum vino bene misces,
Quos si non misces, forsan damnum adipisces.
    Wiltu essen gesunt fische
    Zo saltu sy mit weyne wol mische
    Mischstu sy mit weyne nicht
    Vorwar du irkrigist schadin licht.
Si pisces molles, magis corpore tolles;
Si pisces duri, parum magis valituri.
    Du salt essen weyche fische
    Dy do gross sint obr dem tische
    Zeyn sy aber herte vnd cleyne
    Sy wern dir bessir alleyne.
Ut numquam ægrotes ad singula fercula potes.
Inter prandendum sit parum sepeque bibendum.
    Du salt trinken czu eyme itczlichen gericht
    Das du frisch bleybist vnd sichest nicht
    Czwischin dem essen messig ober lang
    Zal man nemyn den trang.

Si vitare velis morbos et vivere sanus,
Non bibe non siciens, non comede tu saturatus.
Wiltu sichtum flyen vnd vortreyben
Vnd allir ding gesunt bleyben
Zo tringk nicht ane dorst
Vnd ys nicht wen du vil speyse genomen hast.
Dat vinum purum ter tria commoda tibi: primum
Confortat cerebrum, stomachum parat tibi letum.
Newinirley nütcz gebet dir der reyne weyn
Her macht dir frolich das hercze deyn
Ouch vortreybit her den broden
Vnd lert den bawch vnd sterkyt dy owgen.
Corpora clarificat, acuit visum, acuit aures
Auget et ingenium, puerum facit esse jocundum.
Der starcke weyn sterkit den leyp vnd irlucht das gesicht
Vermerit dy synnen vnd macht dy orin leycht
Von ym wrt dyrhyndir dy sproche gesat
Tring yn reyne zo wrstu von nicht geschat
Ouch macht her frolich dy kint
Wen man en messclich trinckt.
Hoc dicit medo: qui me bibit, hunc ego lædo.
Stringit medo venam et vocem reddit amenam.
Wer mich trinckt spricht de mete
Den kan ich vorseren fru vnd spete
Der methe vorstricket dy odirn gar
Her macht dy styme weych vnd clar.
Locio post mensam bina commoda tibi confert:
Mundificat palmas et lumina reddit acuta.
Czweyrleye gobe du entpfest
Wen du dich noch dem essen tweest
Deyne hende werden dir wol geschickt
Vnd gescherfft werden dynr owgen licht.
Salvia cum ruta faciunt tua pocula tuta,
Adde rose florem, minuit potenter amorem.
Der salvie mit der rawte saff
Geben deynem trancke gute crafft
Dorczu thu rosin stetirlich
Zo wirt gemynert dein leyp creffticlich.
Aleum vetorem depellit variatque colorem,
Clarificat raucam vocem, crudum facit coctum.
Knobeloch vortreybit den stangk
Vnd vorwandilt dy varbe an deynen dangk.
Dy heysre styme macht her helle vnd clar
Vnd roe speysze macht her gedawit gar.
Salvia, sal, vinum, piper, aleum, petroselinum,
Ex hys fit salsa, si non sit regula falsa.
Salvie salcz pfeffer vnd weyn
Knobeloch petirsilge sal ouch dabey seyn
Dor aws wirt eyne salsse gut
Is das man ir recht thut.
Crocus, ova, piper, plantago, salvia, papaver,
Ex his fit cocta, quæ fluxum sangwinis aufert.
Das bucheleyn von eyner kuchen schreybet
Do man das blut mete vortreybet
Wegebreyt vnd safferan
Pfeffer eyer vnd salviam.
Balnea post mensam crassat, sed ante macrassat.
Humida pingwescunt, nam arida sepe calescunt.
Das bath noch dem essen feysten leyp macht
Vnd vor dem essen magrn leyp alzo ich act.

Wy fewtichkeyt dy ist eyne sache der fettikeyt
Zu trogheyt dich dy hicze treyt.
Surges post epulas, somnum fuge meridianum.
Aut brevis, aut nullus sit somnus meridianus.
Wen du offstehist noch dem essen
Tage sloff saltu gar vorgessen
Zo magistu sloffen noch geschicht
Sloff korcz addir nicht.
Non vrinam retine nec cogas fortiter anum
Nec ventum retine nutrisque morbum veteratum.
Das wassir halt bey dir nicht lang
Vnd czu stule gehe nicht mit getwang
Behalt ouch nicht den wint
So werden gesterkit dy dy schedelich sint.
Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:
Spasmus, hydrops, colica, vertigo, quatuor ista.
Du salt merken virley sachen
Dy dy behaltene winde machen
Das ist der krampf, wassirsucht schedelich
Dy hefen mutter vnd swindeln sicherlich.
Si comedas cerusias triplex donum tibi detur:
Testa purgat stomachum nucleus lapidemque repellit.
Kyrschen gessen geben dir drey gowben
Dy schalen fegen dir den Magen
Dy kerne sint dir vor den stein gut
Von erem saffe wrt gemert das allirbeste blut.
Non comedas crustam coleram generatque adustam.
Caseus et cepe veniunt ad prandia sepe.
Ys nicht des brotis rinde
Wen sy wirkit das gebrante blut swinde
Kesse vnd czwippiln dicke
Czu deynem essen schicke.
Ventre repleto balneum intrare caveto,
Sed cum decoctus fuit cibus, ipsum habeto.
Wiltu vormeyden deynes leybis schaden
Zo saltu dich nicht mit vollin bawche baden
Addir wen dy speyse gedawit sich
Zo magistu baden sicherlich.
Si fornicasti vel balneum si visitasti,
Non debes scribere, si vis visum retinere.
Pistu gewesen an vnkewschir geschicht
Adr bistu gewesen czu dem bade icht
Dornoch saltu mit nichte schreyben
Wiltu bey gutem gesichte bleyben.
Rewma, dolor capitis, oculus flens, wlnera, plage,
Dens esus, venter impetus balnea vitent.
Hostu dy snoppe addir triffende owgen
Thut dir das hewpt we adr bistu wunt,
Mit vollm bawche worme zigen czenen
Zo saltu dich nicht czu dem bade gewenen.
Balnea fervida, pocula grandia, somnia pauca,
Hec tibi lipposos sepe faciunt occulos.
Wir lesen von dreyen sachen
Dy dy owgin triffende machen
Grosse truncke vnd heyss badt
Vnd wen eyn man wenig sloffin magk.
Balneo pereacto non immediato cibato;
Dimittas potum, expertis est bene notum.
Alzo snelle alzo du host gebath
Tring nicht balte das is meyn rath

Vnd is nicht alzu hant
Den vorsichtigen ist is wol worden bekant.
Quatuor ex somno proveniunt meridiano:
Febris, pigricies, capitis dolor atque catarrus.
De kelde sychtum snoppe vnd trogheyt,
Hewpt sewche dy vire sint dir bereyt
Aws dem sloffe des mittags czeyt
Das meynen dy erczte an allyn neyt.
Aleum, nux, ruta, pyra, raphanus et tiriaca,
Hec sunt antidotum contra mortale venenum.
Nusse rawte vnd Knobelouch
Birne vnd merretich meyn ich ouch
Vnd dreyockir spricht desse schrifft
Seyn gut wedir dy totliche gifft.
Si fluxum pateris, nisi hec caveas, morieris:
Concubitum, potum nimium, cum frigore motum.
Wen du den roten weben leydest
Zo ist dir gut das du dy dyng vormeydest
Vnd wiltu das leben behalden weyp adir man,
Zo saltu nicht yn di kelde gan.
Ouch saltu nicht mit den frawen czu schaffen han,
Vnd salt grosse truncke vndrwegis lan.
Martini, Blasii, Philippi, Bartholomei,
Hys festis minuas, ut sano corpore vivas.
Wiltu haben langes gesunt,
Zo loss czu der odir yn dem iore vir stunt
Czu sinte Blasy philippistag vnd Bartholemei
Uff martinistag addir none dorbey.
Estas ver dextra, autumnus venisque sinistra
Inciduntur vene, morboso sanguine plene.
Yn dem lencze vnd czu des zomirs czeyten
Saltu lossyn an der rechtin zeyten
Ym winter vnd yn dem herbist
Zo lass an der linken seyten czu allir frist.
Ante diem quintum post vicesimum quoque quintum
A te vitanda quasi mors est flewbothomia.
Noch itczlichem monden vor dem fümften tage
Vnd ouch noch dem fümf vnd czwenczigisten tage
Zaltu nicht dy odr lassyn slon es sey denn not
Wenn odir slon ist dann alz gifft adr tot.
Sagwinem non minuas ni luna sit quinque dierum.
In luna plena non tangatur tua vena.
Nymant czu der oder lossin sal
Wenn der monde ist gleyche vol
Nymant ouch dy odyrn sleth
Czu der czeyt wenn der monde naw entsteet.
Luna vetus veteres, juvenes nova luna requirunt.
Yn dem ersten teile des monden ist is gut
Das dy jungen lossen von en das blut
Addir wenn sy czu dem alder komen
Zo sullen sy lossen wen her hot abegonomen.
Lote calesce, pranse sta, frigesce minute.
Noch dem odirlossen halt dich kalt
Noch dem essen stehe vnd bade wann wiltu werden alt.
Nil capiti facias, aries cum luna refulsit;
Brachia tunc minuas et balnea tu tum intras.
Non tanges aures nec barbam radere debes.
Zo der monde yn dem stehr ist
An dem howpte saltu lossyn czu keyner frist.
An dem armo man lossen sal

Ouch yn das bath gehistu wol.
An den oren saltu lossyn nicht
Vnd den bart abeschern yn keyner frist.
Arbor plantatur cum lunam thaurus habebit.
Edificare potes, jam sperges semina teræ
Et medicus timeat cum ferro tangere collum.
Du magist wol bowme pflanczin yn der frist
Wenn der monde yn dem ochsen ist
Vnd ouch wol bawen vnd sehen
An dem halse loss keyne odir sloen.
Brachia non minuas cum lustrat lunam gemellus,
Vngwes in manibus cum ferro tu neque scindas.
An dem arme loss czu keynir frist
Wenn der monde yn dem czwillinge ist
Ouch saltu dy negil nicht abesneyden
Wiltu allrley crangkheyt vormeyden.
Pectus, pulmo, jecur in cancro non minuatur,
Pocio sumatur, securus perge viator.
Yn dem crebyss lass nicht dy lunge adir dy brost
Das du nicht vorlerest deynis gesundis lost
Du magist wol nemen der erczteyen trangk
Ouch wandirste sicher obirlant.
Cor gravat stomachum, cum circumit luna leonem,
Non facias vestes nec ad convivia vades.
Zynt das der lebe beswert das hercze vnd den magen
Zo saltu dich nicht off das odr lossyn wogen
Vnd salt nicht new cleyder an czyen
Du salt ouch stete wirtschafft czyen.
Lunam tangens virgo uxorem ducere noli,
Detur semen terre: caveas intrare caribdim.
Yn der iungfrawe sal man sich huten eben
Das nymant sal greyffen czu dem elichin leben
Man mag sehen obiral
Nymant off dem wassir faren sal.
Scorpio augmentat morbos in parte pudenda;
Wlnera non curas, caveas intrare navem.
Der tharant an der heymlichkeyt den sichtum mert
Wenn du mit wetagen wirst beswert
Du salt heylen in keyne wunden
Noch off wassir segiln zu keyner stunden.
Libra intrans lunam nemo genitalia tanget;
Aut ylia vitet nihil in corpore curet.
Nicht loss an dem heymlichen steten
Wenn der monde ist yn dy woge getreten
Auch an keynen geledern noch lenden
Wiltu den baden das magist du wenden.
Luna nocet femori per partes nota sagitte;
Carpe viam tutus, sed tu caveas remigrare.
Der monden ist den hüffen schedelich
Dy weyle her ist an dem schuczin steticlich
Czu wandern ist is gute czeyt
Vnd obir wassir farn du vormeyt.
Capra nocet genibus ipsam cum Luna tenebit;
Fundamenta ruunt, nihil est quod durat in ipsa.
Du salt keyne ercztey thun
Yn dem steynbocke an den knyen um
Ouch was man anhebit bawen czu der stunt
Das gewynnet eynen bossyn grunt.
Tangere crura cave cum luna tenebit aquosum,
Insere tunc plantas, excelsas erige torres.

An deynen baynen lass keyne adr slan
Wan der monde komt yn den wassirman.
Hoche türme magistu wol bawen
Ouch magistu bowme pfropfen ungerawen.
Piscis habens lunam noli curare podagram,
Carpe viam tutus, potio sumac est salubris.
Yn den fischen saltu an den fussen
Keyne odir sloen lossen
Gut wandern ist ober lant
Vnd heylsam ist der erczteyen trang.

In iano claris calidisque cibis potiaris,
Cedit enim medo tunc potatus, bene credo[1]).
Yn dem monde des winters alte yor
Ys warme speyse dy do weych ist vnd clor.
Dorczu tring messig fru vnd spete
Vnd sloff vil sundir tring wenig methe.
Nascitur occulta febris februo tibi multa,
Potibus et escis si caute vivere velis,
Tunc cave frigora et pollice sume cruorem[2]).
Der hornungk meret alzo balt
Dem menschin das sychtum kalt.
Dorum flewch dy kelde das ist dir gut
Off den dawmen saltu lossyn das blut.
Marcius humores prandit generatque dolores,
Venas non pandes radices sedulo mandes[3]).
Der mercze der leybis fuchtikeyt
Gibet dyr smerczen vnd lyt
Loss nicht dy odr sondr yss steticlich wurcze
Dy sint dir gut vnd nucze.
Se probat in vere Aprilis vires in habere;
Cuncta renascuntur, pori terræ aperiuntur.
In quo calefit sangwis recensque crescit[4]).

Variæ lectiones, numeris arabicis insignitæ, inveniuntur in Codice III. Q. 5. de quo cf. pag. 23, quæ vero literis latinis inscriptæ sunt, eas tradit Codex II. O. 1. qui olim ad Bibl. Ecclesiæ collegiatæ Glogoviensis pertinuit et a diversis manibus foliis 418 partim anno 1446 scriptus est. Folio 317 perhibetur: „Ego Albicus potius post decoccionem facerem“ etc. Ergo auctor hujus voluminis vel ipse Albicus, illustris ille universitatis Pragensis magister, dein Archiepiscopus, fuit vel ex schedis ejus deprompta continet.

[1]) In iano claris etc. ut supra
Ni tibi languores sint, aptos sume liquores,
Nec vinum[a]) cogita, communia fercula vita.
Balnea sunt grata, sed pocio sit moderata.

[2]) Eriguntur occulta febris etc.
Si comedis betam nec non ansera vel anctam,
Pocio sumatur, in pollice tunc minuatur,
Frigida vitantur, sed balnea sana putantur.

[3]) Marcius humores reserat etc.
Sume cibum modice coctum si placet jure,
Balnea sint assa nec dulcia sint tibi cassa,
Vena nec ab dena nec pocio sit tribuenda.

[4]) Se probat etc.
Cuncta renascuntur, pori tunc aperiuntur.
In quo scabescit, corpus sanguisque crescit,
Ergo solvatur vena b) cruorque minuatur.

a) nimium. b) venter.

Der aprill hot sulche crafft dor von
Alle dinge werden vornewet schon.
Ouch hiczt er den leyp vnd meret das blůt
Denn loss czu der odir dass ist dir gut.
Majo feture laborat sit tibi cure,
Scindatur vena, sic balnea dantur amena:
Cum variis rebus sint: fercula cum speciebus [1]).
Erbit in dem meyen ist nicht schade
Loss zu der odir vnd mache dir lustige bade
Mit wurcze vnd mit mancherley gekrewte
Bereyte dy speyse das ist gesunt alln lewt.
In iunio gentes perturbat medo bibentes,
Atque novellarum fuge potum cerevisiarum;
Lactuce frondes ede sed non bibe a) fontes [2]).
Vor methe yn dem brachmonden hüte dich
Vnd vor iungen bire das lere ich dich.
Lactuken blettir du essen salt
Tring abir nicht den born kalt.
Cum vult solamen iulio prebet hoc medicamen:
Venam non sindat, ne b) ventrem pocio ledat,
Somnia compescat et balnea cuncta pavescat [3]).
Yn dem hewmonden der sich wol beroten wil,
Der trincke czu mossin cztyl
Vnd sal keyne odir slossin slon
Her sal ouch seyn baden lan.
Quisquis ab c) augusto vivat moderamine justo,
Raro dormitet et tum coytum d) vitet,
Balnea non curet e) nec multa comestio ducet,
Nemo laxari debet nec flebothomari [4]).
Yn dem owst monden saltu messig seyn czwor
Sloff seldyn hicze vnhewscheyt vormeyde gar.
Hute dich vor bath vnd vnmessig essen
Vnd odir lossen saltu ouch vorgessen.
Fructus maturi Septembri sunt valituri,
Et f) pira cum vino pomis cum lacte caprino,
Atque de urtica tibi pocio fertur amena,
Tunc venam pandes, species cum semine mandes [5])
Yn dem herbist monden czeytiger fruchte nicht vorgyss.
Birne mit weyne vnd czege milch off yss.

---

[1]) Majo secure laxare sit tibi cure
Scindatur etc.
Cum validis rebus sint balnea vel cum specibeus.
Potibus astricta sit salvia cum benedicta.

[2]) In iunio etc.
Atque novellarum etc.
Ne noceat colera valet ita refeccio vere,
Lactuce frondes ede, jejunus bibe fontes.

[3]) Qui vult etc.
Venam non etc.
Sompnum compescat etc.
Ac veneris vota, sit salvia anetum nota.

[4]) Quisque ab augusto utatur etc.
Raro dormitet, frigus, quoque coytum vitet,
Nec multum cocta, communia fercula vita;
Pocio vitetur ac locio nulla paretur.

[5]) Fructus etc.
Sed pira etc.

a) bibito. b) nec. c) sub. d) totum. e) Nec minui curet. f) Synt pyra.

Von nessiln tring das is gut,
Ys wurczé vnd loss von dir das blut.
October vina prestet cibos a) atque farina,
Nec non arietina caro valet b) et volucrina,
Quamvis sint sana, non multa comestio fiet [1]).
Der weynmonde gebit weyn vnd wiltpret gut
Gense fleysch vnd vogil genug
Dy seyn dir alle gesunt czwor
Zundir obir yss dich nicht doran gar.
Nunc datur scire tibi suntque cavenda novembri c).
Queque nociva, vita tua sit preciosa dieta,
Balnea cum venere tunc ullum constat habere,
Pocio sit vana atque minucio sana [2].)
Yn dem Wintermonden flewch allis schedelich gut
Habe messige tage reysse yn deynen mut
Der ercztyen trang ist nicht gut,
Baden vnd vnkewschit sal nymant pflegen
Adir lossen loss nicht vndirwegen.
Sane sunt membris calide res decembris,
Frigus d) vitetur, capitalis vena secetur,
Locio sit rara sed phas et pocio cara,
Sit tepidus potus, pro frigore ambula tectus [3]).
Heyss dyng yn dem cristmonden ist dir gut,
Vormeyt dy kelde in deynem mut.
Dy hewptodir magistu lossen
Zundir des bades saltu dich mossen.
Lawtir trang ist dir gesunt
Das kalde loss nicht yn deym munt.

CAPUT IV.

FRAGMENTA POESEOS SALERNITANÆ CONTINUATÆ ET AUCTÆ.

Jam praeter versus adhuc communicatos, qui, sive originarii sint sive subdititii, eo spectasse videntur, ut ad carmen Salernitanum referrentur, illustr. Henschel multos alios versus in codi-

---

Atque diuretica pocio fertur amica,
Ac venam etc.

[1]) Octobri vina præstet cibos atque farinam,
Nec non ancina caro valet et volucrina
Quatenus cois comede e) sed non precordia lede;
Quamvis sunt sana, tamen est refeccio vana.

[2]) Ipsa novembre datur regula medoque bibatur,
Spica recipiatur, mel, zinziber comedatur.
Balnea cum venere tunc ullum constat habere.
Hiis vir languescit, mulieris ydrops quoque crescit.

[3]) Sane sunt membris calide res mense decembris,
Caulis vitetur, capitalis etc.
Frigore sepe tegas caput ut sanus bis degas,
Ut minus egrotes cinamomia reposita potes.

a) valet. b) convenit. c) Hic tibi scire datur quod reuma Novembri paratur. d) Cancer vitetur. e) Quantumvis comede.

cibus Silesiacis mediae aetatis, hic illico dispersos aut in margine scriptos reperit nobisque communicandos permisit. Quos quamquam nullo modo ad originarium carmen Salernitanum pertinere contendere ausim, tamen eorum cum hoc carmine arctissima conjunctio esse videtur. Apparet enim ex iis, formam poëticam, qua carmen Salernitanum compositum est, atque morem, ex quo illa redundavit, scilicet locos communes graviaque praecepta diaetetica forma poëtica induere, ut tamquam versus memoriales facilius in memoria retinerentur, saeculis, quae promulgationem carminis Salernitani sequebantur, tantum omnium sibi favorem conciliasse ejusque utilitatem ita perspectam esse ut alias quoque res medicas, in originario carmine Salernitano non tractatas, in formam didactico — poëticam redigerent. Sic tandem eo perventum est ut, quidquid in quavis medicinae parte grave visum est nec non plane necessarium ad usum quotidianum, id formam sonumque carminis Salernitani habere vellent. Hujusmodi sunt versus sequentes, quos lectori absolutionis causa et ut reliquias continuatae poëseos Salernitanae, redactos ad ordinem quendam secundum eas res, de quibus agunt, tradimus. Eorum qui fuerit auctor vel potius qui auctores, nemo scit; nam differentiae generis loquendi id tantum satis manifeste significant, plures auctores fuisse. Alii enim ad sonum carminis Salernitani plane appropinquant, alii, serius tempus prodentes, magis in rebus quaerendis versantur. Multi eorum praeclari sunt ac gravissima experientiae probata principia verbis pressis comprehendunt; alii temporum, quibus exstiterunt, errores produnt, id quod de iis maxime valet, qui astrologia nituntur. Utut id est, certe nobis esse videntur memorabilia monumenta historica earum de rebus medicis sententiarnm, quae aetate media maxime in ore hominum erant sicuti morum medicorum et rationis, qua omnino medicina excercebatur. Imprimis quod ad praxin attinet, medicamina tunc temporis maxime aestimata eorumque usum indicant, quare praecipue expositio, quae ibi invenitur, therapeutica Compositorum, celeberrimo illo Dispensatorio Nicolai contentorum, valde placet. Plurimi horum versuum, quippe qui maximam partem in codicibus incipientis saeculi XV inventi sint, originem duxisse videntur ab initio saeculi XIV, ad vitam igitur extremam Arnaldi. Nam quum stylum, sonum ac materiam praeceptorum Salernitanorum teneant, demum saeculo XV orti esse non possunt; post medium autem saeculum XIV totus mundus, qui tunc erat, pesti atrocissima ac omnium maxime diuturna, nigra, quae dicitur, clade percussus erat neque animum medici verisimiliter in poësin converterunt. Ante medium autem saeculum XIV schola Salernitana in extremo flore fuit, a successoribus Hohenstauforum redintegrato; jam vero Petrarchae aetate ad exitum proxime accessit[1]).

Codices, e quibus hi versus sumti sunt, praeter illum supra

[1]) Cf. Sprengel, Gesch. der Med. II p. 509 Anm. 42.

p. 16 commemoratum Rhedigeranum et p. 14 citatum III. Q. 5. et p. 22 a nobis laudatum I. F. 334 hi sunt, qui omnes ad regiam bibliothecam Universitatis pertinent.

1. III. F. 7. Codex vergente Saec. XIV a diversis manibus folis 396 in charta exaratus: in quo plurima Monspelii a medicinæ quodam scholari sunt conscripta; inest tractatus de pestilentia cel. Professoris Montispessulani Johannis Jacobi, scriptus 1373. 6. Febr.

2. III. F. 10. Codex chartaceus a diversis manibus vix multo serius foliis 311 binis in columnis scriptus, ex bibl. Corp. Christi Regiæ nostræ advectus: hunc etiam in Gallia exaratum esse autumat Ill. Henschel propter scriptionem gallicæ pronunciationi accommodatam „fleuma, fleubotomia" etc.

3. III. F. 23. Codex tribus diversis librariis, foliis in charta 398, certe in Silesia, verisimiliter Vratislaviæ et fortasse ex schedis medici tunc temporis Silesiorum celeberrimi, Episcopi Thomæ de Sarepta (de quo Ill. H. suo loco) sub finem sæcul. XIV vel initio sæc. XV descriptus.

4. IV. F. 24. Codex chartaceus folia 451 continens, ut putat Ill. H. Pragæ a discipulo cel. Albici scriptus. Insunt integræ prælectiones medicæ verbotinus traditæ clari illius Magistri Pragensis qui ante ortam Universitatem Lipsiensem a cathedra discessit. Codex ante ann. 1409 exaratus fuisse videtur.

5. III. F. 27. Codex olim ex Bibl. Ecclesiæ Corp. Christi Vratisl. Regiæ nostræ allatus ab uno scriba foliis 270 in charta fortasse in Italia exaratus et anno quidem 1418, ut loco quodam affertur.

6. III. Q. 4. Codex olim Bibl. Eccles. Collegiatæ Glogoviensis, nunc academicæ nostræ, ab una manu pessime foliis 238 in charta, partim in Bohemia, partim Posonii annis 1422—1426 conscriptus.

7. IV. F. 21. Codex, qui olim FF. Capucinorum Vratisl. fuit, elegantissime foliis 149 totus ab eadem manu scriptus et in astrologia medica occupatus. Scribæ nomen prodit fol. 71, ubi habetur: „scriptus per me Jo. de Bu. Canonic. Sti. Salvatoris Metensis et „tunc scolaris Arcium Paduæ." Is fol. 90b) Johannes de Metis vocatur. Paduæ verosimiliter tractatum 24, ut affert, anno 1396 perscripsit: 25 penultimum anno 1438 profitetur.

Quibus patet, versus a me in ordinem quendam redactos proxime afferendos sat notabilis vetutatis esse, quippe quum omnes in Codicibus longe ante sæc. XV medium scripti observentur.

I. PHYSICA.

Consensus rerum a).

Consona sunt ær, sanguis, pueritia verque,
Conveniunt ignis. æstas choleraque juventus,
Autumnus, terra, melancolia, senectus,
Decrepitus vel yems aqua flegmaque sociantur.

---

a) Codex III. F. 7 cf. hanc p.

Elementorum naturaa).
Aeris, ignis, aquæ, terræ gravitas levitasque
Dum convenire, microcosmum constituere;
Ignis fervorem, visum dat, mobilitatem,
Externa carnem trahit et gravitatem.
Aër huic donat, quod flat, sonat, audit, odorat
Gustum et olfactum, humor est et sanguinis usus.
Estas sicca calens, autumnus siccusque friget,
Friget et humet hiems, calidum ver exstat et humet.

Venti b).
Sunt subsolanus vulturnus et eurus eoy
Circinus occasum zephyrusque favonius afflant,
Atque die medio nothus hæret africus auster,
Et veniunt aquilo, boreas et chorus ab arcto.

Organorum vis psychica c).
Cor sapit, pulmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare jecor.

Parallelismus
signorum cœlestium cum partibus d).
Ut cœlum signis præfulgens duodenis,
Sic hominis corpus assimilatur eis.
Nam caput et facies Aries sibi gaudet habere,
Gutturis et colli vis tibi, Taure, datur.
Brachia cum manibus Geminis sunt apta decenter.
Natura intima Cancer pectoris aulam gerit,
Ast Leo vult stomachum, renes sibi vindicat Libra
Ac intestinis Virgo præesse cupit.
Ambas Libra nates, ambas sibi vindicat anchas,
Scorpio vult anum vultque pudenda sibi.
Inde Sagittarius in coxis vult dominari,
Amborum genubus vim capricornus habebit.
Regnat Aquario crurum vi apta decenter,
Piscibus est domum congrua planta pedum.

II. SEMIOTICA.

Prognosis bona e).
Vis, levitas sensus, species, mens, spiritus, ictus,
Ista notanda prius, post hæc decoctio fluxus.

Prognosis mala f).
Febris acuta, rigor, spasmus detractio vocis
Et vomitus, cordis defectio, linguæ nigredo,
Rubeus oculus, tremulus, minus intra,
Mortem demonstrant fracta cervice futuram.

Signa mortis g).
Prima tibi facies occurrit, prima notetur
In se signa gerit, quibus ægri crisis habetur
Lumina si lateant aut sint subfusa rubore
Signa mortis habent, vario distincta colore.
Livida si fuerint aut effugientia lumen,
Hoc tibi designant, notantes mortis acumen.
Auris pulpa rigens, frons arida, tempora plana,
Naris acuta, labor immotus, somnia vana,
Algor in extremis et calor et sitis interiorum.
His visis abeas curamque geras aliorum.

---

a) Cod. Rhedig. cf. p. 14. b) Cod. III. F. 7 p. 34. c) Codex Rhedig. d) Cod I. F. 334 p. 22. e) et f) Cod. III. Q. 4. fol. 1. cf. p. 34 g) Cod. III. F. 7 cf. p 34.

Signa salutis a).

Vis, lenitas, sensus, spiritus, mens, somnus et actus
Præstant infirmis verissima signa salutis.

Prognosis ex oculo b).

Hæc oculi signa cum febre novem mala signa
Peccant : animus, tenebræ, coitus, minor alter,
Sanguineus, pallens, lippus, tremulus, nimis æstus.

Semiotice moribundi c).

His signis moriens certis cognoscitur æger:
Fronte rubet primo, pedibus frigescit in imo,
Inde supercilium deponit fine propinquo.
Decidit et metu lævus lacrimatur ocellus,
Deficit auditus, nasus summotenus albet.
Sponte sua plorans mortis pronunciat horam,
Ante venit pulsus decurrens propero nisu.
Excubias patitur juvenis noctuque diuque,
Sique senes dormit, designat nocte resolvi.

Semiotice urinæ d).

Ut reor urinis calor exstat causa ruboris,
Frigiditas albi, sed humor grossiciei,
Subtilitas siccum denatat sursum,
Quelibet urina, si sanguis inundat abunde,
Apparent grossæ rubeo dominante colore.
Si fel, subtiles citroque colore nitentes.
Flegma quidem grossas nec non determinat albas,
Sed niger humor eas subtiles reddit et albas,
Sed sanative vis tale videntur habere.
Et in eis tantum moderatio quatuor horis,
Parte quidem nona substitit hypostasis ulla.
Coctioni superet tantum tamen tunc parvula paret.
Quæ si magna paret, jam tertia coctio languet.
Nam penetrans morbus jam destillavit ad artus.
Unde venenosis infertur causa salutis,
Sic ut lauriolis et squillis et titimallis.

Urinæ judicium fallax e).

Sæpius artificem deludit forma coloris
Et fraudat plerumque fidem censura liquoris.
Est in contentis rata lex, descriptio trita,
Judicii constare regulam vera fide.
Ceterum postponens naturæ conscius autor
Huic Hypocras vim scientia firma trahit.
Nec contentorum seriatim forma vocetur
Et caruit Hypocras significantia more.

Semiotice pulsuum f).

Qualiter urinam dirimat forma coloris,
Sic etiam pulsuum species et forma tenoris.
Humorum non pulsum plenum determinat esse
Ariditas vero subtilem denotat esse.
Si calor exundat, pulsus citus esse notetur.
Causa quidem pigri, sic frigoris esse probatur.
Sanguis habet pulsum plenum celeremque meatum,
Felleus humor subtilem multumque citatum.
Fleuma facit pulsum plenum quoque tarde meantem,
Sed niger humor subtilem multumque morantem.

a) Cod. III. F. 7. cf. p. 34. b) Cod. III. Q. 4 fol. 1 cf. p. 34. c) Cod. III. Q. 5. fol. 364 cf. 16. d) Cod. III F. 27 fol. 130b cf. 34. e) Cod. III. F. 23. cf p. 34. f) Cod. III. F. 27. cf. p. 34.

Sicque secundum quatuor humorum rationes
Pulsus habet motus et certam cognitionem.

Semiotice sanguinis emissi a).

Versiculos signa cernens quibus experimenta
Sanguis emissus de venis ordine tali.
Si cruor est albus hominis, quasi spuma repertus,
Tussim designat, homini dolorque paratur.
Qui si cœruleus sanguis fuerit speculatus,
Est de fervore tunc dolor in jecore.
Sanguis præterea si nare videtur in unda,
Physicus hominem vultque pati lapidem.
Si siccus sanguis fuerit variique coloris
Et veluti pannus scripaticus ac rubeusque,
Talem paralysis vexat ubique satis.
Si sanguis putide pellis dinoscitur esse,
Intercutanea pestis ibi dominatur.
Si rufus, pulcher sit et unda pulchra parumper,
Est talis sanus, non tibi sit dubius.
Si natitant globuli, designat ulcera carni.
Sanguis purpureus cito lenis et undique spissus
Indicat hominem tibi narem [1]) fore sanum.
Sanguis purpureus ex omni parte stercosus
Tusses, catarrhos indicat esse duos.
Sanguis sulphuricus cito spissus et undique fractus
Indicat humanam tibi naturam venturam.
Si cussus pulcer sit et unda ruber parumque,
Est talis sanus, non tibi sit dubium.

III. THERAPEUTICA.

A. Diætetica.

Diæta in genere b).

Debilitat tenuis, virtutes grossa vigorat.
Grossa diæta chymos auget tenuisque minorat.
Ergo prolixis in morbis grossa paretur
In peracutarum causis tenuis varietur.

Regimen metricum tempore pestis c).

Devita coytus infirmos, balnea, fructus.
Sit cibus autem tuus bonus et vinum tibi potus.
Illud sit vinum puroque flumine mixtum.
Adde cibo tuo, cum prandes, semper acetum.
Ex aloe mirraque croco fit pilula firma.
Mane laves vultum dentes manusque per acetum
Sed caveas oculos ne tangas, nam nocet illis.
Assatum panem per arctum propter odorem
In manibus serves, sed si fuerint tibi glaucas,
Sanguine te minuas infectum teque noscas.
Sic pestem fugies, hanc formam si bene serves.
Nux, ficus et ruta, muscatum, quatuor ista
Jejune sumpta depellunt quæque venena.

Diæta per menses d).

Januarius: Escas per Janum calidas est sumere vanum.
Februarius: Hic cave frigorem, de pollice sume cruorem.

---

[1]) marem?

a) Cod. I. 7. F. p. 261b cf. p. 22. b) Cod. III. F. 7 cf. p. 34. c) Cod. III. Q. 5. cf. p. 16. d) Cod. II. F. 94.

Martius: Hic assaturi cibi sint et balnea cure.
Apr.: Venter solvendus, cruor pedis est minuendus.
Maj.: Apsynthy locio edes cocta lacte caprino.
Jun.: Lactuce frondes ede, cum pomis bibe fontes.
Jul.: Venam non lædas, hoc vitandum fore credas.
Aug.: Hic calidos vitare cibos hoc mense nocivos.
Sept.: Hic venam pandes, species cum semine mandes.
Oct.: Lac ede caprinum, caryophylus lacque ovinum.
Nov.: Hic utaris homo speciebus cum cynamomo.
Dec.: Aptæ sunt membris calidæ res mense Decembris.

Signa astrologica a).

Lunam virgo tenet, uxorem ducere noli.
Detur agro semen, dubitas intrare cameram.
Costas unguentis temptes curare cyrogicis.
Libra tenet lunam, nemo tangat genitalia
Et renes, nates nec iter capere temptes.
Extremam partem Libræ cum luna tenebit.
Scorpius augmentat morbos in parte pudenda,
Vulnera ne cures, timeas ascendere naves,
Nec capias iter, caveas de morte ruinam.
Luna tenet femori perpetes mota sagitta.
Flebothomia prodest, sed debita quærere noli,
Ungues et poteris præscindere, cures.
Caper nocet genibus, ipsa cum luna tenebit.
Intrat anguis navis cito curabitur æger.
Indagia timuit nihilque durabit in ipso.
Capere viam tutius est potio sumpta salutis.
Plantas ne medices, legatos mittere noli.
Nil capiti facies, aries cum luna refulget.
In manu minuas et balnea tutius intres.
Non tangas nares, nec barbam radere debes.
Arbor plantatur. cum luna taurus habetur.
Edificari potest et spergas semina terrae,
Et medicus timeat cum ferro tangere collum.
Brachia non minuas, cum lustrat luna gemellis.
Unguibus et manibus cum ferro curam neges.
Numquam præstabis a promissione petitum.
Pectus, pulmo,jecur in cancro non minuatur.
Sompnia falsa vides, est utilis emptio rerum.
Potio sumatur, securus pergit viator.
Cor gravet stomachum cum cernit luna leonem,
Non sarcies vestes nec ad convivia vadas,
Et nil ore vomas nec sumas tunc medicinas.
Aquarius lunam tenet, tunc crura tangere cave.
Insere tunc plantas, excelsas erige turres,
Et si capis iter, ad locum tardius ibis.

Signa astrologica b).

Aries: Nil capiti facias[1]), aries cum luna refulsit[2]),
Limari minuas et[3]) balnia tutius intres,
Non tangas aures nec barbam radere cures.
Taurus: Arbor plantetur[4]), cum lunam taurus habebit[5])
Ædificare potes, non spergas[6]) semina terræ
Et medicus timeat[7]) cum ferrd tangere collum.

---

a) Cod. Rhedig. cf. pag. 14. b) Cod. IV. F. 21 cf. pag. 34.
Aliæ lectiones Codic. Rhedig. hae sunt:
[1]) facies. [2]) refulget. [3]) Brachia tunc minuas, sed. [4]) plantatur. [5]) habetur. [6]) non spargas — et spergere. [7]) caveat.

Gemini: Brachia non minuas, cum [1]) lustrat luna gemellos [2])
Unguibus aut manibus cum ferro cura negetur.
Numquam portabis præmisso in ore potitam [3]).
Cancer: Pectus, pulmo, jecur in cancro non minuatur,
Sompnia falsa vides, est utilis [4]) emptio rerum.
Potio sumatur: securus [5]) perge viator.
Leo: Cor gravatur stomachum, cum circuit [6]) luna leonem.
Non facias [7]) vestes aut ad convivia vadas
Et nihil ore vomas nec sumas tunc medicinam [8]).
Virgo: Lunam virgo tenet [9]), uxorem ducere noli.
Viscera cum costis caveas temptare cymicus [10]).
Detur agro semen, dubites intrare cameram [11]).
Libra: Libra nitet luna [12]), nemo genitalia tangat,
Aut iter ejus aquis vel textam vergere temptes [13]),
Extremam partem libræ cum luna videbis [14]),
Scorpio: Scorpius augmentat morbum [15]) in parte pudenda.
Vulnera non cures, caveas ascendere navem [16])
Et si carpis [17]) iter, timeas [18]) cum morte ruinam.
Sagittarius: Luna nocet femori, saniori vincta [19]) sagittæ.
Rade caput, minuantur brachia, balnea quære.
Ungues et crines [20]) poteris praescindere tutus [21]).
Capricornus: Cura nocet genibus, cum caprum luna videbit [22])
Intret aquis navis, citius curabitur æger.
Fundamenta ruunt; nihil est, quod duret in ipsam [23]).
Aquarius: Tangere [24]) crura cave, cum luna lucebit [25]) aquosum.
Insere tunc plantas, excelsas errige [26]) turres;
Et si carpis iter, tunc ad loca tardius ibis.
Piscis: Piscis habet lunam, noli curare podagram.
Carpe viam tutus, fit [27]) potio sumpta salubris.
Embrio conceptus epilenticus exit ab alvo.
Ut coelum signis praefulgens est duodenis,
Sic hominis corpus assimilatur eis.

B. Venaesectio.

De minucionum indiciis astrologicis a).

In luna plena non scindatur tua vena,
Sed ventosarum vobis item competit usus.
Ante diem quintum, post vigesimum quoque quintum
Lunæ crescentis vel decrescentis abinde
Venæ parcatur, quia corpus debilitatur.
Quolibet in membro signum proprium videatur.
Non totum lædatur, quia corpus debilitatur.
Summa tenet vervex, bos collum, brachia fratres,
Cancer habet pectus, dorsum virgoque ventrem,
Renes libraque, draco vulvam, crura sagitta,
Capraque genua, pes pisces, tibia urna.

Alia venaesectionis indicia astrologica b).

In luna plena non tangatur tua vena,
Sin in momenta novitatis, scire memento.

---

1) dum. 2) gemelli. 3) a promissore petitum. 4) et inutilis.
5) secure. 6) cernit. 7) facies. 8) sumes tunc medicinas.
9) Luna virga tenens. 10) caveat curare cirurgus. 11) in navem.
12) tenens lunam. 13) Ad renes nate vel iter carpere temptes.
14) tenebit. 15) morbos. 16) classes. 17) capis. 18) caveas.
19) L. n. veneri, per partes mota sagittæ. 20) carnes.
21) abscindere tute. 22) Capra n. g., ipsam cum l. tenebit. 23) ipso.
24) Tonere. 25) tenebit. 26) erige. 27) fuit.
a) Cod. III. Q. 4. fol. 1 cf. pag. 34. b) Cod. 1. F. p. 261 b. cf. p. 22.

Signa venæsectionis in genere a).

Haec: aries, libra bona sunt simul urna, sagitta;
Scorpio et piscos, gemini, cancer mediocres;
Taurus et ipse leo, capricornus sunt mala signa.

De phlebotomia secundum anni tempora b).

In sene vel juvene si venae sanguine plenae
Omni mense plenae valet incisio venae. Ver, aestas
Incidunt venas morboso sanguine plenas.
Jupiter et Venus bene sunt, Saturnus Marsque maligni
Sol et Mercurius, cum hi nam sint mediocres.
Ver Petro detur, aestas exinde sequetur.
Hanc tenet Urbanus, autumnum Symphorianus,
Festum Clementis caput est hyemis venientis.
Vitus Lucia sunt duo solsticia ....
Lamber Gregorii est nox adæquata diei.
Credo quod ignoret medicorum concio tota
Cur bissex hominum membris sint tributa.
Summopere prohibet Alpagramus Ptolomaeus
Astrologi summi nec non Ajaxque Sabæus,
Ut non laedantur membra, quando respiciuntur

De phlebotomiae die c).

Martini, Blasii, Philippi, Bartholomei
Venas praecidant, ut longo tempore vivant.

Phlebotomiae contraindicatio d).

Ante diem quintum, post incendium quodlibet quintum
Venae parcatur, sanguis quia debilitatur.

Diaeta post phlebotomiam e).

Prima dies venae gaudet moderamine coenae,
Altera laeta dies, tertia tota quies.
Ipse dies quartus omnes dociles facit actus
Atque dies quintus tibi vires colligit intus.
Balnea sexta petit et septima vult spatiari.

Alia diaeta post phlebotomiam f).

Prima dies paucas tibi sumere praecipit escas;
Nam de pane bolum, post sorbiale porrigit omne.
Post jusselata dare praecipit ac biberata vel piperata
Coctaque gallina minuentibus est medicina,
Post clarum vinum post gingiber atque cuminum.
Altera dans pultes modice vult sumere ventres,
Etiam dans gallinas coctas, farfamine plenas.
Pinguis ad haec edus prodest coctusque bidellus.

C. Purgatio.

Indicatio purgationis g).

Ars, aetas, regio, virtus, complexio, forma:
Haec sunt pensanda medico purgare volenti.

D. Medicamenta.

Specifica organornm h).

Gaudet epar spodio, cor macis cerebrumque musco,
Pulmo liquiritia, splen capparis stomachusque galanga.

---

a) Cod I. F. p. 261 b. cf. pag. 22. b) Cod. Rhedig. VII. cf. p. 14.
c) Cod I. F. p. 261 b. cf. p. 22. d) vid. c. e) vid. c.
f) Cod. Rhedig. VII. cf. p. 14. g) Cod. III. F. 7. cf. p. 34.
h) vid. g.

Diuretica a).

Sunt diuretica: fu(mus), bruscus, asparagus, calamentum,
Spicaque foeniculus, betonica, cassia, daucus
Squiamus, carvi, Saxifraga, granaque solis
Jus Ciceris, ciperus et petroselinus uterque.

Menses pellentia b).

Uterque spica, thimus, pionia, ruta, savina,
Acorus, agaricus, calamus quoque mirra, nigella,
Origanum fen. marrubium, centaurea, costus,
Castoreum, Daucus, Sqiamum menstrua ducunt.

Menses stringentia c).

Thus, mastix, mirtus, athanasia, psidia, galla,
Sanguis draconis, ypoquistis, acacia, gummi,
Sumak, plantago, balaustia, innervia, b olus,
Castaneae glandes, corallus menstrua stringunt.

Antihydropica d).

Asarabaccara, Cassia lignea, spicaque Nardi
Sanant hydropicos, si dentur pulverisata.

Antiparalytica e).

Salvia, Castoreum, Lavendula, Primula veris
Nasturtium, Aurantia, solvunt paralytica membra.

Maturantia f).

Maturant fenugrecum, lini quoque semen,
Lilia, fermentum, cicados, altea, butyrum.

Myrobalanorum vires g).

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum:
Citrinus, Kebulus, belliricus, emblicus, yndus.
Primo trahit coleram citrinus, flecma secundo
Kebulus vel contra, belliricus, emblicus aeque.
Illud et hanc nigrae colore [1]) niger imperat yndus.

Virtates scabiosae h).

Urbanus per se nescit pretium scabiosae;
Nam purgat pectus, quod comprimit aegra senectus,
Sanat pulmonem, servat laterum regionem.
Frangit apostemata, levi virtute probata.
Emplata [2]) foris necat emtriteum [3]) tribus horis.
Intus potatur, sic virus evacuatur.
Languorem pecudum tollit demitque venenum i).

E. Medicamenta composita.

Proprietates Electuariorum et Opiatorum k).

Aurea quidem datur, caput a languore levatur
Ac *dyaolibanum* cerebro dat regere sanum.
Fert sterili fetum *nephra pocio* letum.
Prodest anthera cerebro fortissima *yera.*
Curat quartanam, si sumpserit hoc *adrianum*,
Et dissenterie potus juvat *athanasie*.
Et *rubee* gustus colere fugit humor adustus.

---

a) Cod. III.F. 7. cf. p. 34. b) c) d) e) f) g) Cod. III. F. 7.
h) Cod. III. F. 10. p. 305. cf. p. 16.
i) Ultimus hic vessus legitur in Cod. III. Q. 5 cf. p. 34.
k) Cod. III. Q. 4. cf. p. .
[1]) choleræ? [2]) Emplastrata?
[3]) Hemitritaeum.

Oppopira si vis, cito pellit vicia paralisis.
Pigra caput purgat viciis stomachique repugnat.
Confert quartane *paulini pocio* sane.
Pectus mundatur, *dyaprassium* si capiatur.
Ruffini yera lepre mundacio vera.
Esule mixtura paralisis maxima eura.
Musa facit sane, febri data cottidiane.
Theodoron gliscit, quem febris atra tumescit.
Quem ptisis consumit, *dyarodon* ille resumit.
Potus *trifere* membri menstrua vere.
Euperiston amatque propter menstrua clamat.
Ygia fit denti medicina maximam patienti.
Fleuma non ficte pellit dosis *benedicte*
Et tussi stricte ptisi *dyadragantum*.
Cauma febris placat *dyaprunis* ac bene sedat.
Pellit cordiacam *dyamargariton* imuntam.
Cui ren ægrotat, *litontripon* hic bene potet.
Solus in anteriore confert potus *tyriace*.

Virtutes agnus Dei a).

Balsamus et munda cera cum crismatis unda
Conficiunt agnum, quem do tibi munere magnum,
Fonte velut natum, per mistica sanctificatum.
Fulgura de sursum pellit genus omne malignum.
Portatus munde servat a fluctibus unde.
Pregnans servatur, sine vi partus liberatur.
Peccatum frangit ut Christi sanguis et angit.
Dona dat et dignis virtutes destruit ignis.
Morte repentina salvat sathaneque ruina.
Si quis honoret eum, retinebit ab hoste triumphum.
Agne dei miserere mei. qui crimina tollis.

IV. Medicina in universum.

Natura medicatrix b).

Sapiens, quia semper intendit, quod melius est,
Sufficiens, quia non indiget auxilio,
Sollicita in regimine animalis,
Cujus sollicitudinis non est finis,
Ordinata, quia semper inhaeret uni fini, sicut patet
Discreta in medicaminum compositorum vel materi sitione,
Fortis, quia natura forti nihil est impossibile, nam i terrae motus,
Mirabilis, quia resecat superfluum.

Medici vis et auctoritas c.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Omnes si medicus posset aegrotos medicari,
Divinus major deberet jure vocari.
Non physicus curat vitam, quamvis bene longat,
Natura, qua conservans, descendens corpora sanat.
Tres sunt nam plures in numero corpori morbi:
Morbi consimiles, communes et officiales.
Morbum consimilem cavet complexio prima.


a) Cod. IV. F. 21. cf. p. 34.
b) Cod. III. F. 27. cf. p. 34.
c) Cod. Rhedig. cf. p. 14.

Si caret officio, morbum facit officialem.
Morbus communis si fit, peccabit uterque.

Medicaster a).

Fingit se medicum quivis Idiota prophanus
Iudaeus, monachus, histrio, rasor, anus,
Sicuti Alchemista medicus fit aut Saponista,
Aut balneator falsarius aut oculista.
Hic dum lucra querit, virtus in arte perit.

a) Cod. III. Q. 5. cf. pag. 16.



THESES.

1. Febris non morbus est.
2. Sunt quoque bubones syphilitici primarii.
3. In operatione hydrophtalmi keratotomiæ keratektomia postponenda est.
4. Osteomalacia adultorum eandem pelvis deformationem provocare potest atque rhachitis.
5. Secale cornutum in dystocia ex atonia uteri non spernendum est.

VITA.

Natus sum ego, Philippus Rosenthal, veteri fidei addictus, Lignitii d. XI mens. Septembr. anno h. s. XVIII patre Isaac, matre Johanna, e gente Mendel, quos mihi, proh dolor, mors praematura abstulit. Primis litterarum elementis in schola publica imbutus, annum duodecimum agens Gymnasium, quod in patria urbe floret, adii idque per octo et dimidium annos frequentavi. Inter praeceptores, quorum ibi scholis interfui, non possum quin beatum Dr. Jul. Wernerum efferam, cujus quae fuerint merita de ingenio meo erudiendo, nulla umquam oblivio ex animo meo obruere valebit. Anno h. s. XXXVII maturitatis testimonio instructus hanc almam litterarum sedem petii, ubi ab Ill. Bernstein, tunc fasces academicas tenente, civium academicorum numero adscriptus atque apud Ill. Stenzel, t. t. Decanum gratiosi philosophorum ordinis maxime spectabilem, nomen rite professus his scholis interfui:

Exp. Bellmann exercitationibus latine scribendi et loquendi;

Ill. Braniss de psychologia et logice;

Ill. Ritschl de Trinummo Plautino, de encyclopaedia philologiae, de Aeschylo;

Ill. Schneider de Timaeo Locro;

Ill. Stenzel de historia nostrae aetatis;

Anno integro praeterlapso atque studiis philologicis relictis arti medicae me dare consilium cepi itaque has scholas frequentavi:

Ill. de Glocker de mineralogia;

Ill. Goeppert excursionibus botanicis interfui;

Ill. Gravenhorst de zoologia;

Ill. Henschel de encyclopaedia medicinae;

Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali;

Ill. Otto de osteologia et syndesmologia, de anatome corporis humani, de anatome comparata, de historia foetus. Eodem duce ingeniosissimo ac humanissimo per hiemem in exercitationibus anatomico-practicis versatus sum.

Ill. Pohl de physice;

Ill. Purkinje de physiologia corporis humani, experimentis illustrata, de selectis physiologiae capitibus.

Anno h. s. XXXIX Gryphiam me contuli, ubi ab Ill. Finelio, t. t. Rectore magnifico, inter cives academicos receptum Ill. Schultze, t. t. Decanus gratiosi medicorum ordinis spectatissimus, medicinae studiosis me adscripsit. Scholae, quas mihi illic per annum integrum audiisse contigit, hae sunt:

Ill. Berndt de therapia generali, de pathologia ac therapia speciali;

Ill. Hornschuch de botanice;

Ill. Hünefeld de chemia tam anorganica quam organica. Ejusdem viri humanissimi, erga me benevolentissimi, examinatorio quoque de rebus chemicis et societati, cui praeerat, chemico-physiologicae interfui.

Cel. Kneip def. de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus;

Cel. Laurer de osteologia;

Ill. Schultze de anatomia corporis humani nec non pathologica, de physiologia. Quo duce humanissimo per semestre quoque artem cadavera rite dissecandi exercui.

Ill. Seifert de pathologia generali, de semiotice, de materia medica, de pharmaokatagraphologia;

Ill. Tillberg de selectis physices capitibus;

Grypesvoldia redux Ill. Gaupp, Rectore magnifico et Ill. Betschler, Decano gratiosi medicorum ordinis maxime spectabili, denuo hanc almam litterarum universitatem adii atque his scholis interfuisse glorior:

Ill. Benedict de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis rite applicandis et instrumentis chirurgicis. Ejusdem viri praeclari mihique delectissimi examinibus de gravioribus chirurgiae capitibus interfui nec minus eodem duce operationes chirurgicas et in aegrotis institui et in cadaveribus exercui. Erat mihi quoque per duos annos dux benevolentissimus in clinico chirurgico. Gratissimo animo ohanc ccasionem amplector, ut Tibi

vir praeclare ac non satis celebrande, ob innumera favoris atque benevolentiae documenta, quibus me ornavisti, ex intimo pectore palam quas possum maximas gratias agam.

Ill. Betschler de Gynaecologia universa. Idem vir humanissimus in clinico, quod sub ejus auspiciis insigniter floret, mihi per duo semestria largam dedit et feminarum infantumque morbos tractandi et parturientibus auxilium ferendi occasionem atque semper tanta erga me benevolentia et indulgentia excelluit, ut ejus memoriam ad cineres usque pio gratoque animo coliturus sim.

Ill. Henschel de historia rei medicae. Cujus viri praeclari favore atque meritis de studiis meis recte instituendis nec non summa benignitate, qua me in exaranda hac dissertatione et re et consilio adjuvit, ut indies dignior fiam, ex toto pectore opto.

Ill. Klose de medicina forensi et politia medica;

Exp. Neumann pathologiam et teraphiam specialem benignissime mecum repetiit.

Ill. Remer doctrinam de morbis dynamicis apyreticis pro eximia sua sapientia et peritia mihi evolvit atque per biennium in clinico et policlinico medico tot tantaque benevolentiae documenta exhibuit ut vix sperare ausim fore ut vel enixissimae virium intentioni grates debitas solvere contingat.

Cel. Remer jun. de syphilide;

Ill. Wendt qua pollet sagacitate sermonisque splendore doctrinam de febribus et inflammationibus, de exanthematibus et de morbis psychicis mihi tradidit.

Benignissime quoque Expp. Dr. Benedict jun., Dr. Burchard, Dr. Koehler, Dr. Menschig, Dr. Nega, Dr. Reymann, Dr. Wendt jun. in exercitationibus clinico-practicis me adjuverunt.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Fxperientissimis, quum tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis in co sim ut summos in medicina et chirurgia honores adipiscar, ex profundo animo quam maximas gratias ago eorumque me fuisse discipulum semper pia mente profitebor.

